

*MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81409-5*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HOFFMANN, ERNST

TITLE:

DE ARISTOTELIS
PHYSICORUM LIBRI...

PLACE:

BERLIN

DATE:

1905

Master Negative #

93-81409-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ar51			
Z8	Hoffmann, Ernst, . 1880-1952.		
v. 13	De Aristotelis Physicorum libri septimi, origine et auctoritate pars prior. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Ernestus Hoffmann ... [Berlin?], 1905. 33 p. 22 cm.		
	Thesis. Berlin. 1905		
	Vol. of theses.		
36529			

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35


REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 5.14.93

INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Physica *88 ars*

**De Aristotelis Physicorum
libri septimi**

origine et auctoritate

pars prior.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

litterarum universitate

Friderica Guilelma Berolinensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Ernestus Hoffmann

Berolinensis

Promotio sollemnis habebitur die VI mens. Mai anni 1905.

De dissertatione iudicaverunt

H. Diels Prof. Dr.

J. Vahlen Prof. Dr.

Dissertationis huius ut pars tantum typis describeretur
permisit ordo philosophorum.

Dissertatio typis expressa est in
A. W. Haynii heredum officina

Aristotelis de naturae ratione doctrina continenter nobis est tradita tribus operibus: 1. *Physicis*. 2. *Libris de caelo* atque de generatione et corruptione. 3. *Meteorologicis*. Quibus de operibus saepe mota est quaestio, num omnes eorum libri ab Aristotele conscripti essent eadem forma qua nobis sunt servati, et praecipue in virorum doctissimorum disceptatione versari coeperunt *Physica*, quorum alii alios libros esse suppositos pronuntiarent. in his Titze¹⁾ de sexto et septimo libros 'hos libros, inquit, etsi non ausim omnino spurios renuntiare, tamen nec affirmarim ad seriem iustorum physicae *Acroaseos* librorum necessario pertinere'. octavum librum Aristotelis non esse Weisse²⁾ censuit, Tannery³⁾ quintum et sextum ceterorum in numero *φυσικῆς ἀκροάσεως* librorum referendos negabat. sed excepto libro *H* (VII), qui quamquam de origine libelli etiam nunc est controversia, tamen quin seiungendus sit ab aliis de *physicis* libris nemo dubitat, omnes tam aequaliter et congruenter compositi sunt, omnes tam

1) 'de Aristotelis operum serie et distinctione', Lips. 1826 p. 48.

2) 'Aristoteles Physik übers. und mit Anmerk. begl.', Leipz. 1829 Abt. 2 p. 644.

3) 'Archiv f. Gesch. d. Philos.' Bd. XI p. 115; sed cf. eiusdem volum. p. 185; Rodier 'sur la composition de la phys.' et Zeller, *ibid.* p. 536.

apte specie, dicendi genere, rationibus inter se conexi, ut fieri non possit, quin putemus Aristotelem ipsum singulas de naturae doctrina quaestiones coniunxisse vel certe voluisse eas haberi opus simplex et unum.¹⁾ antiquis temporibus exemplaria quoque Physicorum ferebantur quae separatam haberent priorem operis partem, l. l. I—IV,²⁾ a posteriore, l. l. V—VIII, et hanc *περὶ κινήσεως*, illam *περὶ ἀρχῶν φυσικῶν* inscriberent. quae dividendi ratio, quippe quae exstiterit post philosophi demum tempora, ut iure putat Zeller,³⁾ valde mihi ab Aristotelis propositis videtur abhorrere. nam ut omittam locos, qui in ipsa doctrina haerent, ratione quoque iungendi vetamur dissolvere opus: particula enim *δέ* arte coniuncti sunt et l. V cum IV et VI cum V. contra perspicuum est Aristotelem non fugisse opus, si rem ipsam respicias, compositum esse duabus ex partibus, quod apparet eis locis quibus Physica laudat. nonnumquam enim priorem physicorum partem his verbis affert⁴⁾ *ἐν τοῖς φυσικοῖς* aut *ἐν τοῖς περὶ φύσεως*, posteriores autem libros *ἐν τοῖς περὶ κινήσεως*.

Perinde dissertationes quas attuli altero loco (libros de caelo atque de generatione et corruptione), quarum utraque nunc exstat ut liber ex se ipso aptus primitus fuerunt unius operis partes,⁵⁾ quod facile apparet loco quodam, quem Meteorologicorum initio

1) de hac re uberius egit Barth. Saint-Hilaire in 'dissertation sur la composition de la phys.', quam legimus in eius edit. Par. 1862 I, 415.

2) ut recte commemorat Porphyr., aliud tradidit Simplic. sed errasse eum Zeller ostendit II, 2³ p. 86.

3) ibid. p. 86.

4) cf. Bonitz Ind. Arist. 98^a 27 sqq. et 102^a 53 sqq.

5) cf. Zeller ibid. p. 87.

legimus. dicit enim Aristoteles p. 338^a 20: *περὶ μὲν οὖν τῶν πρώτων αἰτίων τῆς φύσεως καὶ περὶ πάσης κινήσεως φυσικῆς* (quo dicto breviter comprehenditur summa *φυσικῆς ἀκροάσεως*), *ἔτι δὲ περὶ τῶν στοιχείων τῶν σωματικῶν, πόσα τε καὶ ποῖα, καὶ τῆς εἰς ἄλληλα μεταβολῆς, καὶ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς τῆς κοινῆς εἰρηται πρότερον*, quod plane pertinet ad libros de generatione et corruptione. duo ergo opera affert, quorum alterum cum altero conectit voce *ἔτι*, partes autem singulorum operum coniungit particula *καί*.

De meteorologia libros genuinos esse quamquam antehac multi negabant, his quidem temporibus nemo est quin persuasum habeat. tamen a priore operis parte seiungendus est l. IV, non quo omnino alienus sit, sed seorsum primitus videtur esse compositus a ceteris Meteorologiae libris et ortus post ea tempora, quibus confectum est amplius illud opus, cui aliquanto post additus est. huius libri quaestiones Zeller dicit¹⁾ Aristotelem, cum libros Meteorologicorum scribere inciperet, nondum hac forma confici voluisse, tamen postea sumptas esse in vicem deliberationum promissarum in extremo tertio libro, quo appareat proposita totius operis non ad finem perducere.

Quo igitur iure haec Meteorologicorum dissertatio ex eorum numero librorum, quibus mandata est Aristotelis de naturae rerum doctrina, a viris doctis separata est, eodem iure alius quoque libellus — neque ullus praeter hos duos — Physicorum septimus. in utroque offendunt viri docti similiter in multis rebus: neque scio an fieri possit, ut dubitationes ortae, etsi plures sunt atque graviore de Physic. H, simili modo tolli possint in utroque libro.

1) ibid. p. 88.

Omnino removendum esse l. *H* (VII) ex Physicorum ordine his de causis apparet:

1. Initium¹⁾ libri VIII, 'nullo plane sententiarum vinculo' cum libri VII fine coniunctum est, at apte cohaeret cum extrema parte libri VI. itaque continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur, manifesto libro *H* interrumpitur.

2. In codd. non certus ordo servatus erat librorum de motu, etenim secundum quosdam (quorum sententia servata est in codicis *E* Bekk. inscriptionibus) libri de motu hoc ordine legebantur VII (α'), VI (β'), VIII (γ').²⁾

3. Omnes praeter *H* libri cum prioribus coniuncti sunt particula 'δέ'³⁾.

4. Nullus ex *H* locus in ceteris Aritotelis libris affertur.⁴⁾

5. Eudemus notitiam habuit trium tantum librorum *περὶ κινήσεως*, l. l. autem V, VI, VIII sine dubio genuini sunt,¹⁾ et Themistius²⁾ *μέχρι τοῦδε σχεδὸν τοῖς ὅλης τῆς πραγματείας κεφαλαίοις παρακολουθήσας τοῦτο τὸ*

1) cf. St.-Hilaire 'dissertation' p. 423.

2) cf. Rose 'de Aristot. libr. ordine et auctoritate', Berol. 1854 p. 203.

3) cf. Diels 'zur Textgeschichte d. arist. Physik', Abh. d. preuss. Ak. d. W. 1882 p. 41. — De sententiis, quas protulit R. Skute in libro qui inscribitur 'On the history of the process by which the A. writings arrived at their present form', Oxford 1898, postea loquemur, cum parum mihi videantur graves neque comparandae cum horum hominum doctorum rationibus.

4) cf. Spengel 'über d. VII b. d. phys. d. Ar.' Abhdlg. d. bayr. Ak. d. W. philos.-philol. Classe 3 p. 337 2. Abt.

5) cf. Rose p. 199.

6) Simpl. in Arist. Phys., ed. Diels II p. 1036, 15.

βιβλίον παρελθὼν ὡς περιττὸν ἐπὶ τὰ ἐν τῷ τελευταίῳ βιβλίῳ μετῆλθεν.

Cum complures alii viri docti tum Valentinus Rose hoc quoque attulerunt: nonnullas libri *H* argumentationes etiam aliis quibusdam operis locis legi neque tamen respici, immo supervacaneas et auctori ceterorum librorum 'manifesto ignotas' videri esse. sed hanc rem paulo aliter se habere postea apparebit.

Illis ex quinque observationibus effici posse Diels putabat (et mea quidem sententia iure) l. *H* primo latum esse segregatim a ceteris Physicorum libris et insertum in eorum seriem post Eudemi demum tempora. Brandis,¹⁾ St.-Hilaire,²⁾ Windelband³⁾ Simplicium⁴⁾ secuti huius libri disputationes commentarios esse existimabant a philosopho ad tempus factos, 'ὑστερον δὲ ἐν τῷ τελευταίῳ βιβλίῳ τῶν ἐν τούτῳ κεφαλαίων ἀκριβέστερον διαρθρωθέντων τινὰς ὡς οἰκείον αὐτὸ τῇ πραγματεία συντάξαι.' Rose et Gercke⁵⁾ rationibus quas attuli cogi posse pronuntiaverunt librum *H* omnino non esse Aristotelis. quae dicta ceteri qui hac de re scripserunt saepenumero repetiverunt, sed plerumque illi re non accuratius diiudicata.

Huic quaestioni solvendae me dare velim neque satis esse puto sententias doctorum quas attuli denuo percensere, ut quae omnes singularibus nitantur observationibus, totius autem libri formam et quasi fundamentum neglegant. itaque haec de fide libri quaestio alia ratione solvenda est, ut toto examinato libro *H* haec duo diiudicentur, quid omnino apparere videatur

1) Gesch. d. griech.-röm. Philos. III, 2, 2 p. 895.

2) Aristot. Phys. préface p. LXXXI.

3) Gesch. d. alten Philosophie p. 148.

4) p. 1037, 1.

5) 'Pauly-Wissowa Real-Encycl.' II, 1 f. 1045, 15.

6) a. e. Zeller et Überweg-Heinze.

I ex forma, qua nobis traditus est,
 II ex argumentorum, specie et auctoritate.

In hac explicandi ratione nobis etiam illa de fide libri quaestio videtur esse posita.

Sed priusquam ad rem ipsam nos vertamus, oportebit paucis verbis dicere, quibus de rebus hoc libro agatur. de motu doctrina tractatur, et primo quaestiones instituuntur de principio motus: omnis motus pendet ab aliquo, quod sua natura diversum est ab eo quod movetur, pendet ab 'alio'. quae ratio cum fieri non possit, ut in infinitum procedat, est quod primum movet, est principium, a quo omnis motus oritur (cap. 1). de generibus autem motuum et de contigua motus vi hoc demonstratur: primum movens necesse est contingere id quod ab eo movetur in omnibus motus generibus et loci et qualitatis et quantitatis (cap. 2). tum docemur omnia quae genere suo mutentur a sensibilibus mutari et in eis solis mutationem generis esse quae ab illis mutantur (cap. 3). deinde quod pertinet ad comparabiles motus, probatur non omnem omni esse comparabilem motum (cap. 4). his quaestionibus adduntur de proportionalibus motibus finitiones (cap. 5).


Duarum illarum explicationum quas supra attuli hoc opusculo eam tantum proferam quam altero loco scripsi.¹⁾ hoc fieri potest, quod utraque sui iuris est. tamen conducere mihi videtur huic proposito, si summam saltem dicam quam priore inquirendi ratione effici persuasum habeam.

In libri *H* quibusdam partibus diversae duae formae codicibus tenentur. quarum alteram quam

1) Qua forma alteram explicationem editurus sim, nondum mihi constat.

Bekker in Aristotelis editione supra posuit appellemus α , alteram cuius partem priorem in Spengeli opusculo editam legas, secundam in Bekkeri editione infra positam, β . et quaerentibus nobis, utram formam Alexander et Simplicius spectaverint, apparet iam commentatoribus illis eandem diversitatem in conspectu fuisse. ex Simplicii vero notis, cum nobis tria tantum capita duplici forma tradita sunt, concludi potest in totius libri septimi omnes partes tum pertinuisse illam formae geminationem.¹⁾ cuius de origine nihil apud illos invenimus.

Mihi neutrum exemplum principalis et vera Aristotelis forma videtur esse, sed fontem fuisse puto, quem dicamus x , ex quo et liber α fluxisset et alius quidam liber, quem appellemus y . ex hoc exemplo y forma β ita orta esse videtur, ut peripatetici, qui y tractarent, α ante oculos haberent neque solum singulas voces sed etiam totas sententias ex α in y transferrent. ad explicandam rem hoc schemate utar:



exemplum autem illud commune probari posse puto non libri speciem rettulisse, sed Aristotelis ipsius, ut hoc utar, orationem subfuisse, quam tirones duo, auctores librorum α et y , non satis recte sequi possent.²⁾

1) cf. Simplicius p. 1036₄ et Spengel l. d.

2) De Physicorum libri *H* origine idem fere sentio quod Scaliger de omnibus pragmatibus Aristotelis pronuntiavit. quas ille eo modo ortas esse putavit, ut tirones, qui scholis philosophi intererant, notis exciperent dicta praeceptoris — gravissimas partes vel dictante philosopho — egressique ex auditione quae annotavissent commentarentur. hanc coniecturam, quam

Tantum explicationis nunc quidem satis esse censeo ad libri *H* formam illustrandam; iam ad rem ipsam accedamus.

Ad sententiam eorum refellendam qui putarent ex eo quod nullus libri *H* locus in ceteris Aristotelis operibus laudatur concludi posse hunc librum non esse philosophi haud multam credo consumendam operam. nam apparere videtur illa re nihil effici posse nisi idem quod colligebant viri docti de Metaphysicorum l. l. *K* et *A*, quibus in libris simillimam esse rationem nemo nescit qui his in quaestionibus paulum versatus est.

Maiore difficultate obstructum videtur esse quod sunt qui putent complures huius libri argumentationes aliis quoque Physicorum locis legi neque tamen respici; si recte quidem dixerunt docti illi. at contra est. nam primum apparebit eos locum unum, qui plurimum valeat, plane omisisse, tum vero *argumenta* quidem nonnulla esse eadem et in *H* et in aliis quibusdam libris, minime *rationes*. itaque perspicuum est ne ei quidem rei iam offensionem inesse, si probaveris l. *H* conscriptum esse ante eos libros, quibus eadem legimus argumenta, atque philosophum, cum scriberet libros illos, iam longius discessisse ab eo inquirendi genere, quo usus sit in componendo l. *H*, quam ut operae fuerit pretium revocare eos qui legunt ad quaestiones ante

cum alii sequebantur tum Oncken, omnino accipi non posse. quorum valet his in rebus iudicium satis cognoverunt (obstant illi ut unum ex multis exemplum afferam Rhetoricorum II l. I et II). sed quaerebant docti quidam, num ad partem quidem operum Aristotelis conveniat sententia illa Scaligeri, et iure puto Zeller (Philos. d. Griechen II, 2 p. 133) monuit in diiudicanda hac quaestione incipiendum esse ab iis libris qui compluribus traditi sunt recensionibus.

factas. probandum ergo erit neque tales argumentationes, quales esse Aristotelis non posse arbitremur, legi in l. *H*, et conscriptum esse hunc libellum ante ceteros physicorum libros.

Nulla vero amplior mihi videtur mentio fieri posse Gerekkii rationis, qua acerrime quid sentiret professus 'buch *H*, inquit, ist auszuscheiden als wertlose, wohl unechte *dublette*'. nam re vera tantum eae disputationes — ac ne eae quidem, nisi argumenta tantum respexeris — quibus quidquid moveatur ostenditur necesse esse ab aliquo moveatur, atque esse quod primum moveat, in octavo quoque libro inveniuntur. quae argumentationes ad partem quidem libri VII pertinent, non spectant in totum. et fortasse illa ipsa re sis dubius num Gerekkio credas, quod haec libri *H* prior pars octies laudatur a commentatoribus antiquis, qui si re vera nihil esset ac vile opus, cuius argumentationes quis furatus esset ex aliis libris, non intellexerem, qua de causa illis octo locis praecipue hunc commemoravissent 'nullius pretii librum' neque illos alios, quippe quos alias praedicassent, praesertim cum etiam illis temporibus a quibusdam in suspicionem esset vocatus. ergo esse quod differret inter *H* 1—3 et alios illos locos putabant commentatores, quod fugit nostratum eos, qui pro spurio habebant hunc librum. atque hoc nobis acrius postea inquirendum erit. sed iam hoc loco liceat commemorare in priore libri parte etsi quaestionum summae nobis non prorsus nova atque inaudita docent, tamen rationes inesse, quae non modo ad alios Aristotelis locos illustrandos conferunt, sed quarum ipse philosophus, cum in eis planissime et maxime perspicue dixerit quid sentiret, interdum alibi mihi videtur meminisse. qui pro spurio habent l. *H* eos puto non examinavisse, quantum abiciant, cum

nemo eorum cogitatorum copiam accuratius neque constituerit neque designaverit haud gravius exemplum afferre possum quam tertii cap. p. 246^a 10 sqq., quem locum (et eius praecipue vv. 246^a 10 sqq., ^b3 sqq., 15, 247^a 18, ^b7—12, 248^a 6—10) hoc modo explicat Teichmüller:!) 'Aristoteles unterscheidet die physischen Formen, welche immer in und mit der Materie sind, von den mathematischen Formen, welche durch Abstraktion von der Materie trennbar sind; nimmt aber drittens die Vernunft (*νοῦς*) als vollkommen von der Materie und der Bewegung abtrennbar an. Unter den unzähligen Beweisstellen hebe ich nur eine ²⁾ heraus, worin er zeigt, daß in gewissem Sinne alle Formen überhaupt transcendent sind, weil sie das Merkmal der Bewegung, das zur Natur gehört, nicht haben. Denn die Idee (*εἶδος*) oder Form (*μορφή*) und zwar sowohl im physischen als im psychischen Gebiet, ist keine Veränderung und hat also nicht selbst an dem Werden und der Bewegung Anteil. Den Beweis nimmt A. aus dem Begriff des Verhältnisses (*πρός τι*); denn z. B. Schönheit, Kraft, Tugend usw. beruhen auf gewissen Verhältnissen und Proportionen, und wenn die das richtige Verhältnis bedingenden Veränderungen in dem sinnlichen Stoff stattgefunden haben, so ist dann ohne Werden und ohne eigene Veränderung die bestimmte Form (*λόγος*) vorhanden. Die Veränderung betrifft bloss die sinnlichen Bedingungen. Daher sind nach seiner Meinung auch alle Zustände (*ἕξεις*) des Intellekts keine Veränderungen und kein Gebrauch (*χρήσις*) oder keine Tätigkeit (*ἐνέργεια*) kann selbst als Tätiges betrachtet werden. Wissen und besonnene

1) 'Studien zur Gesch. d. Begriffe' Berl. 1874 p. 247.

2) hunc locum.

Denken ist Ruhen und Stehen des Verstandes und nicht Bewegung, welche vielmehr wie bei Kindern das Wissen unmöglich macht und überhaupt nur in dem sinnlichen Teile der Seele stattfindet. A. leugnet also ganz wie Plato, dass die Form (*εἶδος*) zu dem Bewegten und Werdenden gehöre, und zeigt mitten im Werdenden die transcendente Ruhe und das unbewegte Sein'. hac in Aristotelis disciplinae ratione, satis notum est, quantopere erratum sit ab iis, 'die der aristotelischen Lehre von der Immanenz der Idee gegenüber mit krassen Farben die Transscendenz der platonischen Ideen ausgemalt haben'. optime igitur mihi Teichmüller hoc praecipue loco laudato videtur indicasse nullo alio capite hanc doctrinam tam clare exponi quam his ipsis versibus.!) nunc putemus quemquam alium Aristotelis doctrinam melius intellexisse quam philosophum ipsum? acute et subliliter hoc loco etiam definitio *τῆς ἀρετῆς* dicta mihi videtur esse. iure igitur Bonitz²⁾ hanc definitionem iuxta eam posuit quam legimus *Metaph. A 16, 1021^b 20.*³⁾ habemus enim in *Phys. 246^a 13 rec. α:* ἡ μὲν γὰρ ἀρετὴ τελειώσις τις (ὅταν γὰρ λάβῃ τὴν ἑαυτοῦ ἀρετὴν, τότε λέγεται τέλειον ἕκαστον· τότε γὰρ μάλιστα ἐστὶ τὸ κατὰ φύσιν . . .): in *rec. β:* ἡ μὲν γὰρ ἀρετὴ τελειώσις τις (ἕκαστον γὰρ τότε μάλιστα τέλειόν ἐστιν, ὅταν τύχῃ τῆς οἰκείας ἀρετῆς): in *Metaph.:* ἡ ἀρετὴ τελειώσις τις· ἕκαστον γὰρ τότε τέλειον καὶ οὐσία πᾶσα τότε τελεία, ὅταν κατὰ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς μηδὲν ἐλλείπῃ μέρος τοῦ κατὰ φύσιν αεγέθους.

illud *κατὰ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς* plane genuinum est Aristotelis dictum quod tamen in ipsis

1) cf. Zeller II, 2 p. 313 et quos affert locos.

2) J. A. 92^a 60 sqq.

3) cf. etiam mea p. 63.

Physicis non legimus. at loci illi inter se tam sunt similes, ut ei qui Phys. *H* putant esse 'eine wertlose, unechte Dublette', si sibi constantes esse volunt, facere non possint quin dicant hunc locum ex Metaphysicis in Physicorum *H* esse translatum. sed omnes concedent illum quem fingunt compilatorem peripateticum potius omnia alia quam hoc 'κατὰ τὸ εἶδος' praetermisisse; nam omnino illum, si recta esset illa sententia, operam dedisse, ut penitus et accurate omnibus in dictis Aristotelis dicendi rationem imitaretur, negari non potest. at mihi quidem multo evidentius videretur, si putarem eundem ipsum, qui definitionem quam legimus in Physicis conscripsit, postea eam eo modo novasse quo legimus in Metaphysicis. nam utraque est recta, sed haec magis est stabilita et exulta.

Quid vero censent Gercke et qui sequuntur eum de reliqua libri parte, de capp. 4 et 5? quibus insunt quaestiones, quae etsi nullo alio loco sunt habitae atque prorsus ex se ipsis aptae, tamen nulla re quamvis exigua contrariae sunt neque universali Aristotelis doctrinae mechanicae neque dictis de hac ratione. quae multa cum alias legimus tam l. l. V et VI. hoc apparet Matthiae Kappesii¹⁾ dissertatione, qui omissis quaestionibus a philologis de libri *H* auctoritate motis doctrinam de communi motuum modo (l. VIII, 4 et 5) una cum reliqua philosophi mechanica doctrina tractaverit (neque non Bartholomaei St.-Hilaire Prantelique annotationibus), et docuerit apte convenire haec duo capita ad universalem doctrinam mechanicam Aristotelis. neque umquam omnino in offensionem ceciderunt illa duo capita nisi duabus de rebus: primum quidem sunt qui dicant ea non esse huius loci et aliena a re

1) dissert. Friburg. Bonn 1887.

proposita; alii suspecta ea reddiderunt, quod posita essent in illo suspecto libro. cui rei ut mederetur a priore libri parte secludit St.-Hilaire¹⁾ alteram, quam iure dicit esse maximi momenti, quin etiam praedicat illa seclusa fatalem futuram esse in Physicis lacunam. de priore autem libri parte quid sentiat hoc modo profitetur; 'il y a peu de cas à faire de la première partie, et on pourrait la sacrifier sans trop de peine, si elle n'était dès longtemps comprise dans la Physique'. haud facile credo perversius conici posse de l. *H*. neque enim solum universe libri altera pars cum priore eadem ratione — atque ea ut brevi intelligemus, *physica*, qua acriter oppositus est l. *H* ceteris eiusdem operis libris — cohaeret incuriaque sermonis, de qua itidem loquemur, sed etiam singillatim quaestio de motuum comparatione facta plane congruit cum divisione in *κίνησιν κατὰ φοράν, κατὰ ποιόν, κατὰ ποσόν* facta, quin etiam hoc in fundamento tamquam exstructa est. neque ullo alio Physicorum loco tam commode poni potest haec *ἀπορία, πότερόν ἐστι κίνησις πᾶσα πάσῃ συμβλητή* quam post *H* 3, praesertim cum adiuncta sit priori quaestioni sententia *ἀπορήσειέ τις*. nam hoc loco vere existit *ἀπορία*. contextae igitur atque consortae inter se mihi videntur esse libri *H* singulae partes (num perfectae sint plane cumulateque in *H* quaestiones, quae institutae sunt, posthac diiudicandum erit), et Hilarii rationes potius contra valent: quod capp. 4 et 5 in libro VII posita sunt, etiam eo totus liber est defensus ab eis, qui pro spurio habent.

Sunt quoque, ut vidimus, qui dicant capp. 4 et 5 aliena omnino esse a re proposita. et recte quidem lixerunt: aliena scilicet ab ea re, quae proposita est

1) p. 426.

in omnibus aliis φυσικῆς ἀκροάσεως libris. at aliena ab ea sunt etiam capp. 1—3. nam facile intellegas libri *H* quaestiones plane in alia ratione versari ac reliquos libros physicos. ceteri enim ex summo illo ut ita dicam fastigio Aristoteleae rationis universalis orti sunt. in omnibus agitur de hoc uno, quod quasi contineat omnes causas, omnes quaestiones, ut penetremus in intimam motus vim naturamque, ut perspiciamus, quid sit motus, quis moveat, quid moveatur, sitne aeternus motus. ad has tantas quaestiones expediendas quamquam multis locis opus est explanationibus, quae per minutias procedunt, tamen eis non res ipsa posita est. illud autem apparere mihi videtur ab eiusmodi subtilibus philosophiae scriptis plane alienum esse humiliorem librum *H*, utpote quo nihil sane legatur de *naturali philosophia* neque priore neque posteriore libelli parte. immo *physicam* habemus quaestionem: *quomodo* moveatur, quod movetur. hoc interesse inter φυσικῆς ἀκροάσεως libros et hunc libellum qui ignorabant, eum in errorem inducti sunt, ut Aristotelis non esse putarent, quod de primo movente, de quo maxime agitur in l. VIII, in l. VII quoque quaestio instituitur; sed videas, cuiusmodi sit illa quaestio. frustra in hoc libello quaeras usitatam auscultationi physicae et aliis philosophi libris ut *Metaphysicis* perceptam primi moventis cognitionem philosopham ut rectoris universi. nimirum apparet τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως prorsus silentio neglegi hoc loco non posse, quo de motuum generibus agatur; sed fundamentum tantum est disputationum quae sequuntur. non caput, neque quicquam hoc loco de principio illo ultra dicitur. quin etiam cum proprie physica sit consideratio, haec est summa capituli primi: εἶναί τι πρῶτον κινῶν καὶ κινούμενον. nec solum non dicitur τὸ

πρῶτον κινῶν esse ἀκίνητον, immo κινεῖσθαι. nam ulteriora quaerunt philosophi, non physici.

Vidimus l. *H* cap. 1—3 certam habere cognationem cum aliis Physicorum capitibus, quae quidem pertinet ad res propositas, neque tamen ad rationes. ergo quaestio exsistit, num tanta sit illa discrepantia, ut non iam credamus ipsum Aristotelem ab ipsius sententiis adeo abhorruisse. ac primum quidem duos locos, quippe quibus longe maxime offenderint viri docti, afferam:

1. p. 241^b 24 · ἅπαν τὸ κινούμενον ὑπὸ τινος ἀνάγκη κινεῖσθαι in *H* hoc modo, ut Zeller¹⁾ demonstrat, comprobatur: ‘auch bei dem scheinbar sich selbst Bewegenden kann die bewegte Materie nicht zugleich das Bewegende sein, denn wenn ein Teil derselben ruht, so ruht auch das Ganze, Ruhe und Bewegung des sich selbst Bewegenden aber kann nicht von einem anderen abhängig sein’. hanc argumentationem quod Zeller dicit non esse veram miror. sed veram esse aliam et notam illam atque vulgatam, quam non semel tantum, sed compluribus locis et conclusit congruenter Aristoteles et respexit. orditur illa a notissima illa definitione motus ἢ κίνησις ἐντελέχεια τοῦ κινήτου ἢ κινήτον (p. 202^b 7), quod Zeller²⁾ explicat ‘das Wirklichwerden des Möglichen’, ‘die Vollendung der Materie durch die Formbestimmung’. ‘Alle Bewegung ist demnach ein Mittleres zwischen potentiellern und aktuellem Sein’ . . . ‘ein Übergang von einem Zustand in einen entgegengesetzten’ . . . ‘wo kein Gegensatz ist, da ist auch keine Veränderung. Aus diesem Grunde setzt alle Bewegung zweierlei voraus, ein bewegendes und ein bewegtes, ein aktuelles und ein potentiellern Sein’ . .

1) p. 354.

2) p. 352 sq.

‘Bewegung ist die Wirkung des Aktuellen oder der Form auf das Potentielle oder die Materie’. duas ergo habemus argumentationes inter se plane diversas, alteram physicam, alteram philosopham. sed qua de causa, quaero, prior ‘falsa’ est aut indigna, quam addicamus Aristoteli? num quid in ea perperam est dictum? mihi quidem viri docti quos dixi non alia de causa offendisse in ea videntur (et inde omnes ad totum damnandum librum profecti sunt) nisi quod omnino fieri non posse putabant, ut eiusdem rei complures et eae inter se plane diversae demonstrationes in philosophi libris essent. et tamen facile est intellectu: teneamus Aristotelem praeceptorem eis, quas in l. *H* legimus disputationibus, physicam voluisse docere artem tirones, nihil ultra. et ut physica instituerentur doctrina physicis opus erat argumentationibus, ut alia aliis. itaque erravit St.-Hilaire¹⁾ qui ad p. 242^a 5 sqq. postquam vertit ‘AB étant supposé un mobile en mouvement, il est nécessairement divisible; car nous avons vu que tout ce qui est mu est divisible aussi. Admettons qu’est divisible en tant qu’il est C. BC n’étant pas mu, AB sera nécessairement sans mouvement comme lui’, haec addiderit: ‘BC n’étant pas mu, BC est une partie de AB; et la partie BC n’étant pas mu, le tout AB ne le sera pas non plus. le principe n’est pas aussi absolu que l’auteur semble le croire. et il aurait besoin d’explication. Les commentateurs croient qu’il s’agit ici du mouvement de l’âme et du corps; l’âme est dans le corps et elle se meut avec lui, quoiqu’au fond ce soit elle qui le meuve’. fortasse bene commentatores illi hoc loco mentionem fecerunt de animae et corporis motu, neque tamen Aristoteli

1) II p. 413.

ipsi ut idem faceret opus erat. Qui physicis tantum imbuere tirones voluit ut dixi, commentatores autem — quod ipse philosophus numquam in animo habebat — certam quandam philosophiae formulam compositam invenire et probare conabantur; itaque iure dictum cum dicto contulerunt, quod est interpretum.

Quae dixi probabis, si mecum recognoveris duos locos, quorum utroque docemur *ὅτι εἰς οὐρανός*. alteram legimus demonstrationem l. de caelo p. 278^b 21 sqq. et eam physicam, alteram Metaphys. p. 1074^a 31, quae est metaphysica. priore loco, ut Zeller¹⁾ vertit, hoc exponitur: ‘wenn alle Körper in dieser einen Welt ihren Ort haben, so kann aufserhalb derselben kein Körper und somit auch kein Raum sein, denn ein Raum ist nur das, worin ein Körper ist oder sein kann’, altero: ‘mehrere Welten würden mehrere erste Beweger voraussetzen, die der Art nach gleich sein müssten und sich also nur durch ihren Stoff unterscheiden könnten. Das erste Bewegende aber hat keinen Stoff an sich, es ist überhaupt nur eines. Notwendig muss es dann aber auch die Welt sein, die ihre stetige und ewige Bewegung von ihm erhält’. haud magis abhorrent inter se mea quidem sententia hae duae argumentationes quam eae, quas priore loco attuli. attamen quis est qui alteram non esse Aristotelis pronuntiaverit?

2. Prorsus alienam esse libri *H* physicam rationem ab aliorum omnium librorum, quibus similes legimus res propositas, philosopha consideratione manifestissime intellegitur ex diversis de motuum numero dictis. omnibus enim locis Aristotelis prout etiam *τὴν μεταβολὴν εἶδος* esse *τῆς κινήσεως* vel dicit vel negat,

1) p. 447.

quattuor vel tria motus genera enumerat: 1. *γένεσιν καὶ φθοράν*, 2. *αὔξησιν καὶ φθίσιν*, 3. *ἀλλοίωσιν*, 4. *φοράν*. haec divisio, ut omnes primo aspectu concedent, philosophiae est. nam respondet categoriis, secundum quas hoc modo ordinantur: 1. *ἡ κατὰ τὸ τί*, 2. *ἡ κατὰ τὸ ποσόν*, 3. *ἡ κατὰ τὸ ποιόν*, 4. *ἡ κατὰ τὰ ποῦ*. in loci autem categoria nonnullis locis discernitur a) *ἡ καθ' ἑαυτὸν* b) *τῆς καθ' αὐτοῦ*. at ne hoc quidem physice esse dictum credas. contra proprie physicam rationem in his motuum, qui enumerantur in *Phys. H 2. 243^a 16.* modis invenimus: *ἔλξις*, II *ῶσις*, III *ἔχρησις*, IV *δίρησις*. huic divisionis rationi locum non esse in explicanda naturalis philosophiae doctrina liquet, tamen maxime accomodata physicis est cogitationibus, et profiteri liceat non nullos viros doctos omnino in diiudicandis philosophi scriptis, utrum spuria sint neene, hoc unum mihi videri omisisse persaepe in Aristotelis philosophiarum res non eo ducere neque ducere posse, ut certi quid decernatur, itaque de eisdem quaestionibus in aliis operibus aliud inveniri. afferam *Politicorum* locum *A 4. p. 1254^b 10*: *τὰ μὲν γὰρ ἡμεῖρα (ζῆα) τῶν ἀγρίων βελτίω τὴν γίσιν*, qui plane contrarius est sententiae quam pronuntiat philosophus de part. anim. *A 3. 643^b 3.* nam ibi legimus in errore versari eum, qui animalium genera 'silvestris urbanique ratione' dividat. 'fit enim ut quae specie sunt eadem, haec distinguere videamus. cum omnia, quae urbana sunt, eadem silvestria quoque reperiantur, ut homines, equi, boves, canes in terra Indica, sues, caprae, oves; quae si aequivoca sunt non seorsum distincta sunt; sed si eadem specie unumque sunt, iam fieri non potest, ut silvestre atque urbanum pro differentiis recte capiantur'. alio loco docemur de ratione civili, alio de zoologia. cf. etiam

Metaphys. A 7 1072^b 24 cum *Politicor. H. 2. 1324^a 25* et *3. 1325^b 14.*¹⁾

Itaque talibus argumentis quae e diversitate definitionum petita sunt, edoceri non possum librum *H* Aristotelis non esse, sed iam considerandum est, num Brandisii et aliorum quorundam sententiam veram esse credamus qui haec pronuntiavit: 'Fragen wir nach der Geltung dieses Buches, so kann ich es nur für die Zusammenfassung einiger vorläufiger Aufzeichnungen halten'. at huic sententiae prorsus officit atque obstat sermonis genus. iure enim viri docti idem quod Brandis de *Physicorum* libro *H* opinatus est coniecerunt de origine *Metaphysicorum* libro *A*. conferamus igitur libri utriusque sermonem. *Metaphysicorum* libri *A* dicendi ratio tam pressa atque concisa est, ut non longe absis interdum quin noluisse philosophum intelligi dicta sua putes. in tanta quaestionum difficultate tanta dicendi brevitatis! contra in *Physic. H* legimus perfectas, verbosas, fusas disputationes et eas in argumentis, quae si compares cum *Metaphysic. A*, tibi prima discentium elementa videantur esse.²⁾ postquam varia motuum genera explanata sunt, sententia *ὅτι ἅμα τὸ κινούμενον καὶ τὸ κινῶν ἐστίν* in omnibus motuum generibus peragitur, nullum remittitur nobis. hanc disserendi rationem, qua defatigantur paene qui legunt, Aristotelis esse non ignoramus; neque tamen nobis persuadebimus hoc modo philosophum ea scripsisse, quibus tenere tantum suas cogitationes futurum in usum in animo habebat. immo, hoc disserendi genere apparet in libro *H* contineri explicationes, quas ab omnibus satis percipi posse voluit Aristotelis. hoc admodum evidenter intellegas

1) his de locis Zeller loquitur pp. 430 et 615.

2) legas p. 242a 22--27.

ea libri parte, qua limites ut hoc utar constituuntur motus finium (cap. 3). Brandis quidem hanc partem dicit scriptam esse 'in einer weit über den Zweck hinausreichenden Weise'. vera est haec sententia, si I. H partem Physicorum credas. quod minime fieri posse vidimus. profecto haec pars amplissima tamque plena est, ut cuivis errori iam occurratur. atque etiam hac ex parte concludi potest, cui scripserit philosophus: nempe tironibus. exceptis categoriis et de interpretatione libro, ut taceam de problematis, ad nullum Aristotelis librum pertractandum tirones tam paucis doctrinae rudimentis imbuti se dare poterant quam ad Phys. H. ubi c. 1 p. 242^a 29 Aristotelis in *μῆς κινήσεως τῷ ἀριθμῷ* mentionem incidit, quod dictum ut perspicuum reddat, non solum circumscribit probatque exemplis, sed eandem *μίαν κίνησην* etiam, *γένει* et *εἶδει* tractat, etsi nihil ad rem pertinent. haec non est ratio altioris doctrinae vias aperiendi, sed tirones physicis imbuendi.

Conferamus Metaphysic. Γ 4. 1006^a 29. eandem habemus rem. legimus:

πρῶτον μὲν οὖν δῆλον ὡς τοῦτό γ' αὐτὸ ἀληθές, ὅτι σημαίνει τὸ ὄνομα τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι τοδί· ὥστ' οὐκ ἂν πᾶν οὕτως καὶ οὐχ οὕτως ἔχει. ἔτι εἰ τὸ ἀνθρώπου σημαίνει ἐν· ἔστι τοῦτο τὸ ζῶον δίπουν. quae dicta sequitur explicatio de sententia *τὸ ἐν* facta quindecim per versus, qua, quamquam ad docendum maxime est idonea, tamen facile careamus, et in eodem Metaphysicorum libro dicta legimus, quibus ut putem adducor Aristotelem scripsisse hunc librum non cuivis qui legeret, sed eis quos ipse initiaret litteris. lego mecum p. 1006^a 8:

ἔως μὲν γὰρ ἀπάντων ἀδύνατον ἀπόδειξιν εἶναι· εἰ ἀπειρον γὰρ ἂν βαδίζοι, ὥστε μὴδ' οὕτως εἶναι ἀπόδειξιν.

δέ τινῶν μὴ δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν, τίνα ἀξιούσιν εἶναι μᾶλλον τοιαύτην ἀρχὴν οὐκ ἂν ἔχοιεν εἰπεῖν. ἔστι δ' ἀποδείξαι ἐλεγκτικῶς καὶ περὶ τούτου ὅτι ἀδύνατον, εἰ μόνον τι λέγη ὁ ἀμφισβητῶν· εἰ δὲ μὴδέν, γελοῖον τὸ ζητεῖν λόγον πρὸς τὸ μὴδενὲς ἔχοντα λόγον ἢ μὴ ἔχει.¹⁾ ὁμοίως γὰρ φησὶ ὁ τοιοῦτος ἢ τοιοῦτος ἤδη.

Puto omnes Aristotelis sodales, cum perciperent dicta *εἰ μόνον τι λέγη — ἢ τοιοῦτος ἤδη*, risisse. nam quamquam rectum est principium illud contradictionis p. 1005^b 19 *τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό* iam tum comprobari, cum omnino quid ab aliquo pronuntiat, tamen mihi in illo dicto plus inesse videtur. inest 'non ignoratis, sodales, me conatum esse eis, qui *ἀξιόσι καὶ τοῦτο ἀποδεικνύει δι' ἀπαιδευσίαν* (1006^a 5) declarare rem; sed operam perdidit, neque enim quicquam dicunt adversarii'. quos autem vocat adversarios, qui non cognoscant *τίνων δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν καὶ τίνων οὐ δεῖ* (1006^a 7)? legimus p. 1008^a 12: *ἔθεν καὶ μάλιστα φανερόν ἐστιν ὅτι οὐδεὶς οὕτω διάκειται οὔτε τῶν ἄλλων οὔτε τῶν λεγόντων τὸν λόγον τοῦτον. διὰ τί γὰρ βαδίξει Μεγαράδῃ ἀλλ' οὐχ ἰσχυράζει οἰόμενος βαδίξαι; οὐδ' εἰθὺς ἔωθεν πορεύεται εἰς φρέαθ' ἢ εἰς φάραγγα, εἰ μὴ τύχη, ἀλλὰ φαίνεται ἐλαβοίμενος, ὡς οὐχ ὁμοίως οἰόμενος μὴ ἀγαθὸν εἶναι τὸ ἐμπεσεῖν καὶ ἀγαθόν;*

Hoc est festive dictum.²⁾ in risum vertit adversariorum sententias apud tirones. et qua de causa Megaram vocat? facetiarum subest quidam lepos.

1) ἢ μὴ ἔχει Ab, ἢ μὴδένα ἔχει λόγον E; Christ 'tamquam interpretamentum verborum 'ἢ τοιοῦτος', quae legimus in sequenti versu, secludere voluit. sed minime iure. nam in voce ἢ = 'gerade insofern' inest, ut ex eis, quae dicturus sum, facile intelligatur, maxime acumen sententiae.

2) male omissum est in Alexandri exemplo vox *ἔωθεν*, quae opinor optime convenit sermoni levi atque liberiori.

nam in Megarenses maxime philosophos hae explanationes videntur spectare. qua re permotus sit Aristoteles, ut praeter consuetudinem suam hac hilaritate conspergeret orationem, nemo puto est qui definite dicat. sed verisimillimum mihi videtur esse tetigisse tum philosophum disceptationes vel contentiones paulo ante actas, quas non ignorarent tirones.

Itaque puto Metaphysic. *I* ad eos ipsos pertinere, qui institutione utebantur Aristotelis, et cum in huius libri p. 1006^a 29sq. et Physic. *H* p. 249^a 29sq. eandem inveniamus rationem, confirmari puto opinionem meam perinde sese habere rem de Physicor. *H*.

Haec docendi ratio, qua, si satis eam cognoverimus in l. *H*, maxime ei mihi videntur refelli, qui Aristotelem sibi tantum scripsisse hunc librum pronuntiaverunt, dilucide apparet in capite primo, quo non uno atque eodem tenore procedat oratio, sed postquam per multos versus conservatus est certus argumentationis ordo atque iam ad finem paene perductam esse rem credis, subito (in Prantelii edit. p. 140, 1) legimus: *οὕτω μὲν οἶν δόξειεν ἂν δεδειχθαι τὸ ἐξ ἀρχῆς, οὐ μὲν ἀποδέδεικται*, immo alia consideratione opus esse. nemo est quin sciat hoc modo bene institui tirones, qui omne cautionis genus adhibere in quaestionibus assuescant.

Quaerendum nunc nobis est, quibus temporibus Aristotelem eas scholas habuisse credamus, quibus auctores amborum exemplorum libri *H* interessent.

Constat magnis illis philosophi operibus, ut politicis et rhetoricis, nobis non ea solum tradita esse, quae philosophus certo aliquo et definito vitae spatio cogitaverit de singulis doctrinis, sed gradus eius et quasi processus cogitandi cognosci posse. eandem fere rationem puto valere in Physicis, de qua re iure dicit Gercke¹⁾

1) p. 1020.

‘Aristoteles konnte sich nicht genug tun in fortwährender Prüfung der Probleme und ihrer Lösung, auch in der Form der Darstellung wich er bisweilen von seinen früheren Darlegungen ab’. et illam ‘formam’ hac in sententia latissime patere ex eis apparet, quae de aliis Physicorum libris dixi, quibus similes argumentationes legimus. dicere possumus philosophum non forma solum recessisse a prioribus disceptationibus, sed prorsus commutasse ac tamquam recoxisse illas. velut numquam dubitavit, quin deus ille, *τὸ πρῶτον ζῆνόν*, re et veritate esset, et tamen, qui diligenter Physic. *H* cognito insequentem legerit librum, intelliget non tractandi solum rationem alteram ab altera alienam esse, sed eum qui *Θ* conscripsit etsi tota ei constitit naturae contemplatio, iam progressum esse quodammodo ultra pristinam rationem: maior erat natu quam qui ea cogitavit, quae in antecedente libro invenimus. — Torstrik quoque, qui putaret Physica e compluribus auctoris formis paulatim orta esse, in ed. l. de anima praef. XXVII ‘de naturali, inquit, auscultatione . . . ex prima recensione solus superest l. VII . . . is igitur solus ex prima recensione dignus visus est liber Physicorum editori, qui posteritati traderetur’. hanc sententiam, qua doceamur Phys. *H* vetustiore esse quam omnes alios Physic. libros, veram esse iudico et mihi valeor invenisse probationem certam. Aristoteles enim ipse respicit hunc librum in Phys. l. *Θ* cap. 5 p. 256^a 13sq.: ‘*εἰ δὲ ἀνάγκη πᾶν τὸ κινούμενον ὑπὸ τινός τε κινεῖσθαι, καὶ ἢ ὑπὸ κινουμένου ἀπ’ ἄλλου ἢ μί, καὶ εἰ μὲν ἴπ’ ἄλλου . . . εἰ οὖν ἅπαν μὲν τὸ κινούμενον ὑπὸ τινός κινεῖται . . . et v. 29: ἀναγκασθῆναι καὶ μὴ εἰς ἀπειρον ἵέναι*’. philosophus mihi hoc loco recordatus videtur esse priorum periculorum quae nos quidem conservata habemus in l. *H*, sicut in Rhetori-

cis¹⁾ legimus partes, quibus Aristotelis respexerit auditionum priorum exempla, quae edidisse videtur Theodectes.²⁾ ex cap. IV extr. fortasse idem est concludendum. nam numerorum rationis contemplatio metaphysicam quandam praebet speciem: 'οὐ γὰρ ἔχομεν τινα δύο, ἐν οἷς ἡ ἑτερότης ὡς ἡ ἀνομοιότης. καὶ εἴ ἔστιν ἀριθμὸς ἢ οὐσία, πλείων καὶ ἐλάττων ἀριθμὸς ὁμοειδής, ἀλλ' ἀνώνυμον τὸ κοινόν, καὶ τὸ ἐκάτερον, ὥσπερ τὸ πλείον πάθος ἢ τὸ ὑπερέχον μᾶλλον, τὸ δὲ ποσὸν μείζον'. neque erraturos esse nos puto, si opinamur scriptum esse hunc librum iam eis temporibus, quibus Platonis auctoritas apud Aristotelem valere nondum omnino desisset. — tamen etiam tum Aristoteles cognovisse videtur quantum inter vias, quas ipsi esse ineundas sibi persuasisset, et Platonis doctrinam interesset. nam initio libri philosophi sententiam legimus scriptam tam aspere ut ita dicam, ut non dubitemus, quin philosophus ipse intellexerit vehementissime

1) cf. Diels, 3. Buch der Rhetorik (Abh. d. Berliner Ak. 1886) p. 12.

2) animum tuum advertam etiam ad alium locum, quo si recte vertimus, controversia possit dirimi, quae est inter Brandisii Pranteliique libri interpretationes. v. 17 scriptum legimus: 'ἀδύνατον γὰρ εἰς ἄπειρον ἵεναι τὸ κινεῖν καὶ κινούμενον ἐπ' ἄλλον αὐτό. τῶν γὰρ ἀπειρῶν οὐκ ἔστιν οὐδὲν πρότερον (cf. E 2. 226^a 3), quod hoc modo verto 'denn es ist unmöglich, dass der Vorgang, dass etwas selbst bewegt und dabei von einem anderen bewegt wird, ins Unendliche fortgehe. Denn vom Unendlichen gibt es kein erstes'. hoc loco intellegimus Brandisium recte iudicasse de v. 242^a 21, quo legimus 'ἀνάγκη εἶναι τι τὸ πρότερον κινεῖν, καὶ μὴ βαδίζειν εἰς ἄπειρον' μὴ γὰρ ἔστω ἀλλὰ γενέσθω ἄπειρον'. nam haec ultima verba vertit ille 'unter der Voraussetzung, dass das Unendliche immer nicht werde, nimmer sei'. utriusque loco eadem fere subest sententia, quod ignoravit Prantl, qui libri II locum ita vertit 'gesetzt, würde kein erstes, sondern es gehe unbegrenzt so fort'.

concussam esse Platonis doctrinam, quam nos quidem in Phaedro legimus (Zeller II, 1, 785. Plat. Phaedr. 245 D sqq.): 'die Tätigkeit der Seele ist teils bewegen, teils erkennen. Sie ist das ursprüngliche Prinzip aller Bewegung, denn sie allein ist das sich selbst Bewegende, und indem sie sich selbst bewegt, bewegt sie auch den Körper; sie sorgt . . . für das Leblose, durchwandelt die Welt und regiert sie'.¹⁾

1) fortasse etiam alia re probari posse videatur libri II originem cadere in tempora prima docentis Aristotelis. nam 247^b 10 hanc legimus argumentationem unice grammaticam: 'ἢ δ' ἐξ ἀρχῆς λήψις τῆς ἐπιστήμης γένεσις οὐκ ἔστιν. τῷ γὰρ ἰρεμῆσαι καὶ στήναι τὴν διάνοιαν ἐπίστασθαι καὶ φρονεῖν λέγομεν'. et in β: τῷ γὰρ ἰρεμῆζεσθαι καὶ καθίστασθαι τὴν ψυχὴν ἐπιστήμων γίνεται καὶ φρόνιμος'. ex Rudolphi Euckeni autem opusculo, quod inscribitur 'Beiträge zum Verständnis des Aristoteles I: die Etymologien bei Aristoteles' (Neue Jahrb. f. Philolog. und Pädag. 39 p. 243 sqq.) docemur philosophum alia uti consuesse ratione. dicit Eucken 'blicken wir nun auf die angeführten Stellen zurück, um unser Urteil über Aristoteles Verfahren im allgemeinen festzustellen (triginta fere locos tractavit). Was zunächst den Zweck anbelangt, weswegen er überhaupt auf die Etymologie zurückgeht, so ist es der, durch die Feststellung der eigentlichen Bedeutung des Wortes den Sinn, den er damit verbindet, zu begründen, oder vielmehr, um genauer zu sprechen, zu bestätigen. Denn er pflegt nicht von der Etymologie auszugehen, sondern bringt sie erst hinzu, nachdem seine Ansicht schon entwickelt ist, weswegen er auch öfter mit den Worten zur Etymologie übergeht 'ὥστερ καὶ τοῦνομα σημαίνει' oder 'ὅθεν καὶ τοῦνομα εἴληφεν'. differentiam ergo procedendi habemus et facile nobis persuadeamus ratione illa cauta et circumspecta philosophum usum esse, cum aetate iam esset provector, hac quam legimus in Physicor. i. II paulo minus considerata, cum esset minor. sed hoc exemplum ab aliis illis etiam eo differt, quod Aristoteles non ignorabat auditores id bene notum habere ex Platonis philosophia. Phaedonis enim p. 96^B dicit Socrates: καὶ πρότερον τὸ αἶμά ἐστιν ᾧ φρονούμεν, ἢ ὁ αἶθρ ἢ τὸ πῦρ, ἢ τούτων μὲν οὐδέν, ὁ δ' ἐγκράταλός ἐστιν ὁ τὰς αἰσθήσεις παρέχων τοῦ

Mirum fortasse tibi videatur vel offendat te, quod Aristoteles postea parte minime exigua eorum cogitatorum, quae legimus in Phys. *H*, uti in scriptis desierit. tamen hoc non semel tantum factum est. anonym. ap. Brandis. schol. 94^a 21 dicit, qua de causa Andronicus libellum *περὶ ἐρμηνείας* pro spurio habuerit; quo loco apparet Aristotelem ante ea tempora, quibus scholas haberet *περὶ ἐρμηνείας*, in auditionibus *περὶ ψυχῆς* edidisse: *‘φωνὴ σύμβολος τῆ ψυχῆ’*; postea autem, cum l. l. de anima retractaret, hanc explicationem omisit. hanc Andronici sententiam ex Anonymi Coisluniani ad Herm. commento edidit Littig in Andronici fragmentorum collectione (Programm des Gymnasiums in Erlangen 1895, p. 29) *‘ἐπεὶ γὰρ Ἀριστοτέλης ἐν ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ φησὶν, ὅτι τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παιδημάτων ἐστὶ σύμβολα, τοῦτ’ ἐστὶν αἱ φωναὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἔξαγγέλλουσιν, εἴτα παρακατιῶν φησὶν, ὅτι ‘περὶ μὲν οὖν τούτων ἐν τῷ περὶ ψυχῆς ἡμῖν εἴρηται.*

ἀκούειν καὶ ὁρᾶν καὶ ὑσφαίνεσθαι, ἐκ τούτων δὲ γίγνεται μνήμη καὶ δόξα, ἐκ δὲ μνήμης καὶ δόξης λαβούσης τὸ ἡρεμεῖν κατὰ ταῦτα γίγνεται ἐπιστήμη’. cuius sententiam hoc loco Plato attulerit, nescimus, neque tamen sine veritatis specie Hirzel (Hermes XI 240) Alcmaeonem auctorem eius fuisse comprobare conatus est. quem philosophum omnino illis temporibus Hirzel putat multo plus valuisse et respectum esse etiam a Stagirita saepius quam noscimus (Krische quoque [Forschg. auf d. Gebiete d. alten Philos. p. 76] opinatus est Platonem in Phaedri mythi initio Alcmaeonem esse secutum), et iure hanc sententiam Hirzel dicit confirmari, si cum hoc Platonis loco conferamus Aristotelis anal. post. II, 19, 100^a 3sq. *‘ἐκ μὲν οὖν αἰσθήσεως γίνεται μνήμη, ὡς περὶ λέγομεν, ἐκ δὲ μνήμης πολλάκις τοῦ αὐτοῦ γινόμενης ἐμπειρία· αἱ γὰρ πολλαὶ μνήμαι τῷ ἀριθμῷ ἐμπειρία μία ἐστίν· ἐν δ’ ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἡρεμίσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τοῦ ἴνους παρὰ τὰ πολλά, ὃ ἂν ἐν ἔπασιν ἐν ἐνῇ ἐκείνοις τὸ αὐτό, τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης, ἐὰν μὲν περὶ γένεσιν, ἢ τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης’.*

Ἀνδρόνικος ἀκούσας τὰ νοήματα παιδήματα τῆς ψυχῆς καλοῦντος αὐτοῦ καὶ παραπεμποντος ἡμᾶς εἰς τὸ περὶ ψυχῆς, εἴτα ἐγκύψας ἐκεῖ καὶ μὴ συνιδῶν, ὅπως ταῦτα λέγει, ἀναγκαῖον ᾤθη τῶν δύο πραγματειῶν, ταύτης τε καὶ τῆς περὶ ψυχῆς, νοθεῦσαι τὴν ἑτέραν, καὶ δεῖν ἐνόμισε ταύτην ἀθετεῖν μᾶλλον, ἢ ἐκείνην τηλικαύτην οὔσαν καὶ μέγεθος γοημάτων ἔχουσαν καὶ ἀξίωμα’. φημὲν δὲ πρὸς αὐτόν ὅτι, κἂν μὴ κυρίως ἐν τῷ περὶ ψυχῆς λέγει τὰ νοήματα παιδήματα τῆς ψυχῆς, ὅμως τὴν μὲν φαντασίαν παιδητὸν νοῦν ἐκεῖσέ φησιν. neque tamen hac de causa cedit Andronici observatio neque dubito, quin profecto fuerint explicationes Aristotelis psychologicae, quibus *‘κυρίως’* τὰ νοήματα παιδήματα τῆς ψυχῆς dicerentur.

L. *H* nullo alio Aristotelis libro, ut Spengel vidit, nominatim citatur, et inde hoc, quod gravissimum est, concludere possumus: iam dudum constat magnam partem eorum dictorum, quibus ab alio libro Aristotelico ad alium revocentur qui legunt, non scriptam esse ab ipso philosopho, immo pertinere ad studia peripateticorum, qui libros tractarent. multi autem huius libelli loci peropportune poterant laudari variis in libris, praecipue in Phys. *Θ*. tamen factum non est, itaque sequitur mea quidem sententia hunc coniungendi libros morem iam non viguisse, cum hic quidem liber insereretur, et respectum esse librum vel fortasse etiam inventum et tractatum in schola brevi tempore antequam infingeretur Physicis liber.

Iure Brandis dixit eas quaestiones quae instituuntur in l. *H* non plane esse perfectas. ergo putandum est paucas scholas etiam tum inter reliquias philosophi servatas fuisse, cum redactor hunc librum Physicis insereret.

Hac ratione quam inimus ultra progredi non possumus in origine libri *H* indaganda. et satis habeamus.

si comprobatum sit et argumentationes huius libri non indignas esse, quas Aristoteli ascribamus et disputandi genus esse repetendam ex ratione tirones imbuendi. sed si licet ea quoque respicere quae p. 9 sq. de duabus illis libelli formis dixi me alio loco demonstraturum esse, eo modo inter se coniungendae esse mihi videntur illae et hae summae, ut putemus peripateticos aliquanto post Aristotelis mortem acrius studium collocasse in philosophia naturali, id quod constat de Stratonis physici schola, itaque quaesivisse libellos eorum, qui philosophi auditionibus his de rebus habitis interfuissent, et duos repperisse, alterum bonum (α), alterum malum (γ), et quibus tenuit retractasse formam exemplo α usum; quo modo ortam esse formam β : postea utrumque exemplum seorsum esse editum.

Forsitan res etiam paulo aliter explicatur. fortasse putandus Aristoteles eandem scholam saepius habuisse et alter vel uterque tiro quotiescumque nova cognoscerent cogitata rettulisse ea in commentarios. quod si rectum sit, eodem fere modo res se habeat quo in Platonicis Theaeteti initio.¹⁾

Sunt qui putent praeceptoris dicta conatos esse notis tenere primos eos, qui institutione utebantur Socratis, et deinde domi ea commentariis retractare et quamquam praeter illum quem infra attuli Theaeteti locum²⁾ certi nihil hac de re constat, fortasse

1) p. 142 D *Τετραβίων· τίνες ἴσανοί λόγοι· ἔχουσιν ἂν διηγήσασθαι Εὐκλείδης· Ὅδ' μὲν τὸν Λίαν, οὐκ ἔστιν οὕτω γε ἀπὸ στόματος. ἀλλ' ἐγὼ φημί μὲν τὸ ἐὺθὺς οἴκαδ' ἔλθων ὑπομνήματα, ὕστερον δὲ καὶ σχολὴν ἀναμνησκόμενος ἔγραφον, καὶ ἰσάκις Ἀθήναζε ἀφικοίμαι, ἐπισηρώτων τὸν Σωκράτη ὃ μὲν ἐμνημίην, καὶ δεῦρο ἔλθω ἐπισηρωθούμην. ὥστε μοι σχεδὸν τι πᾶς ὁ λόγος γέγραπται.*

2) quo etsi nihil de vero Socrate concludi potest, tamen hoc certe, quod dixi, comprobatur: fuisse omnino temporibus illis morem breviter notis dicta tenendi et retractandi. cona-

harum annotationum nonnulla quidem quamvis retractata in Socraticorum libros transisse verisimile fit, si nobiscum reputamus, quanti illos philosophos interfuerit in libris, quibus de Socratis praeceptis ageretur, etiam sermonis genus magistri conservari et imitando effingi et Aeschines praecipue laudatus est antiquis quidem temporibus, quod hoc esset assecutus; quin etiam erant qui dicerent dialogos eius conscriptos esse ab ipso Socrate. de Xenophonte quoque mota est haec quaestio a quibusdam qui dicerent etiam nunc in illius scriptis videre nos posse doctrinas, quas tradat, vel praecepta a Socrate de virtute datas (Mem. III, 9), auctorem librorum parum recte intellexisse. et profecto hoc mihi multum videtur valere. num nobis persuadeamus eum has difficillimas res, quamvis perperam eas recepisset, quo erat alieno a philosophorum ratione animo, memoria inde ab iuventute usque in eam aetatem, qua libros de eis scripserit, tenuisse? et puto cogi nos, cum spectamus in memoria saeculorum quemvis virum illustrem et magnum, qui ampliore modo litteras docuerit, cogi nos dico ut putemus auditores non

autem sunt etsi non eodem iure ad aliam quoque rem demonstrandam hoc loco uti. Chiappelli enim nuper (Archiv f. Gesch. d. Philos. XVII, 320) nixus Dionysii loco quodam, 'der eine hartnäckige Revisionsarbeit Platos über seine Schriften bis zu seinen letzten Jahren andeutet' alioque quo docemur, 'dass dem Altertum selbst die Tatsache einer eingehenden und emsigen Überarbeitung von Platos Schriften durch ihn selbst nicht unbekannt war' acriter inquirebat locos, qui postea inserti et retractati essent, sed parum cautionis adhibuit, cum ex Theaeteti initio concluderet: in welcher anderen Weise hätte Plato besser die von ihm gemachten Zusätze oder Verbesserungen am ursprünglichen Text bildlich bezeichnen können, als wie er sie durch den Mund des Eukleides hier andeutet?' — cf. Diels-Schubart, Komm. d. Didymus zu Demosth. Berol. 1904 p. XXXI.

solum in schola eius descripsisse orationis partes, sed post mortem quoque praeceptoris operam dedisse, ut quam plurimum doctrinae, quam docuisset, posteritati traderetur. hoc fecerunt Lutheri auditores et Kantii et Hegelii et multorum aliorum, neque credendum est illis antiquitatis temporibus, de quibus loquimur, quae his quidem in rebus licet plane comparare cum hac ipsa aetate, rem fuisse aliam.

Scio hoc Xenophontis studium etiam claris verbis confirmari a Laertio Diogene II 48 *καὶ πρῶτος ἔποσημειώσαμενος τὰ λεγόμενα εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν*. quin fuerunt, qui tachygraphiae inventionem inde Xenophonti attribuerent. At neque hoc inest in voce Laertii *ἔποσημειώσασθαι* (quod est privatim commentarios in codicillos referre) neque ipsa narratio historiae fidenititur. immo Memorabilia non nullis tam fideliter ex Socratis ore excepta esse videbantur, ut aliter nisi hac ratione id explicare non auderent.

ut persuasimus nobis Aristotelis physic. H editum esse a peripateticis discipulis philosophi, sic Aristotelem ipsum scimus operam dedisse servandis Platonis auditionibus velut 'de bono' (hac de re Zeller II, 1 p. 416 adnot. 6 et II, 2 p. 64) et idem scimus de Xenocrate, Speusippo, Hestiae, Heraclide. pauca his de rebus quod dolemus constant,¹⁾ sed inde ab Aristotelis aetate usque ad exitum philosophorum scholarum non dubium est, quin litterarum, quae in scholis tractari solebant, tota ratio extracta fuerit in adnotandis et commentandis professorum adnotationibus. idem valet de scholis rhetoricis Graecis, ut Atheniensibus et Rhodiis: atque Ciceronem quoque in libris rhetoricis

1) hanc ad rem cf. ea quae Diels de Theodectis rhetoricis dicit in libello de Arist. Rhetor. I. III (Abh. d. Akademie Berlin 1886, p. 11).

et philosophis, quos provecta aetate conscripsit, a multis pro certo habetur multa consumpsisse — et partem quidem minime satis intellectam — quae audivisset et descripsisset eis temporibus, quibus in Graecia versaretur, ut nos dicere solemus, inter cives academicos. de Epicureorum quoque scholis exemplum possumus afferre, Philodemum¹⁾ cuius scriptorum magna pars originem fert ab lectionibus quas Zeno Sidonensis in schola habuit. — Epictetum constat scripti nihil reliquisse et q. f. *διατριβάς* a praeceptore dictatas ab Arriano calamo exceptas et retractatas. his in rebus longe plurimum est notum accuratissimeque est actum de Galeni scriptis et de Olympiodoro grammatico, quorum alterius librorum magna quidem pars a Galeni auditoribus ex notis in auditionibus factis confecta et edita est, ut Ilberg in Mus. Rhen. 1892, 489; 1896, 165; 1897, 591 explicabat, alterius, ut Skowronski in diss. 'de auctoris Herennii et Olympiodori scholis' Vratisl. 1884 demonstrabat, commentaria in Plat. Alcibiadem, Gorgiam, Phaedonem, Philebum nobis ea forma tradita sunt, ut dubium non sit descripta esse a tironibus, qui interessent Olympiodori scholis Platonicis. accurate Busse quoque in praefationibus voluminis XVIII commentariorum Aristotelis Graecorum egit de Davide et Elia. Isagoges commentarium dicit 'non ipsius Davidis manu litteris mandatum esse sed scholis ab aliquo discipulo calamo exceptis esse profectum'. quod illustratur tribus titulis, quibus tres commentarii partes ornatae sunt appictae. ac quot scholas magister habuit, in tot capita discipulus librum digessit. simili modo res se habet de Eliae commentariis in Porphyrii Isagogen et in Aristotelis Categorias.

1) Überweg-Heinze I p. 305.

Vita.

Natus sum Ernestus Fridericus Guilelmus Otto Hoffmann Berolini a. praet. saec. LXXX Id. Jan. patre Ottone architecto matre Anna e gente Ranfft. confessioni addictus sum evangelicae. scholis privatis elementis imbutus inde ab anno XCI gymnasium frequentavi Berolinense quod nomen duxit ab Henrico principe. autumno anni IC maturitatis testimonio instructus in civium almae matris Berolinensis numerum receptus sum. vere sequentis anni Heidelbergam me contuli, unde autumno eiusdem anni profectus sum Gottingam. vere anni MCM Berolinam redii et quinque per semestria huius universitatis cives fui. scholis interfui proff. docc. Heidelbergensium: Aschaffenburg, Braune, de Duhn, Hensel, Hettner, Kahle, Thode, Vossler; Gottingensium: Heyne, Leo, Roethe, Wentzel; Berolinensium: Dessau, Diels, Dilthey, Harnack, Heinze, Helms, Hirschfeld, Lasson, Simmel, Meinardus, Münch, Paulsen, Roethe, E. Schmidt, W. Schulze, Vahlen, de Wilamowitz-Möllendorff, quibus omnibus quae gratia debetur a me refertur. Gottingensis philologici proseminarii sodalis ordinarius fui unum semestre. Berolinensis quattuor semestria, quorum tria primi qui dicitur cursus et unum senior. Berolinensis seminarii exercitationibus philologicis per duo semestria interfui. Gottingensis germanici proseminarii exercitationibus interfui unum semestre, totidem Berolinensis proseminarii germanici atque totidem seminarii ad exercitationes philosophas me admisit per unum semestre Hensel, per quattuor Lasson, praeterea interfui exercitationibus de grammatica Indica, Graeca, Latina factis, epigraphicis, historicis, paedagogicis. examen pro facultate docendi die XXI mensis Decembris anni MCMIV, examen rigorosum die II mensis Martii superavi.

DE ARISTOTELIS TOPICORUM LIBRO QUINTO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

IOANNES PFLUG
LIPSIENSIS

LIPSIAE
TYPIS EXPRESSIT F. A. BROCKHAUS
MCMVIII

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOGOS DE HAC DISSERTATIONE

R. HEINZE

BETHE

PROCANCELLARIO
STIEDA.

LIPSIAE D. VI. M. DEC. A. MCMVII.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Proximis temporibus viri docti Aristotelis Topicorum libris raro operam studiumque navaverunt. Hos ea de causa videntur illi quasi neglexisse, quod arbitrabantur non magnos, ut ita dicam, fructus se capturos esse ex illis studiis. Accedit, quod res Topicis tractatae non ita magni aestimantur. Etenim eis non de vero sed de verisimili agitur, etsi ad illud indagandum aliquid valent Topica.¹⁾ Quibus rebus auctoritas illorum levare videtur. Sed aliis de causis equidem censeo digna esse Topica, quae accuratius inspiciantur. Ac primum quidem collocanda sunt inter eos libros, quos Aristoteles composuit primos. Quamquam hoc non magni facio. Tum nequit dubitari, quin ea composuerit Aristoteles ipse. Quod apparet e tota Topicorum natura et e libri noni²⁾ capite tricesimo quarto p. 183 a 37 sqq. Illo enim loco Aristoteles apertissime ostendit, quam rationem viamque secutus Topica Sophisticosque elenchos composuerit. Accedit, quod hoc opere de arte disputandi agitur primo. Cuius artis praeceptores, qui fuerint ante se, non ratione ac via Aristoteles narrat³⁾ discipulos ea imbuisse, sed seriem quandam exemplorum eis tradidisse. Quae cum ita sint, multa disci possunt e Topicis, quae ad hanc artem spectant et ad eius genera.⁴⁾ Platonis quoque perspiciendae arti dialecticae usui esse arbitror Aristotelis Topica. Quamquam de his quaestionibus non sumus acturi hoc loco, cum censeamus nonnulla nondum esse peracta,

¹⁾ cf. Top. I, 2 p. 101 a 27. 34.

²⁾ Saepius quaesitum est, utrum ille liber, cui inscribitur *Περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων*, arte cohaereat cum Topicis necne. Quam rem altioris esse indaginis nego. Non separandum esse librum nonum a Topicis optime intellegitur ex IX, 34, quod caput quasi epilogus est et libri noni et Topicorum (cf. p. 183 a 37 *προσελόμεθα μὲν οὖν εὐρεῖν δυνάμιν τινα συλλογιστικὴν περὶ τοῦ προβληθέντος ἐν τῶν ὑπαρχόντων ὡς μάλιστα ἐνδοξοτάτων· τοῦτο γὰρ ἔργον ἐστὶ τῆς διαλεκτικῆς κατ' αὐτὴν καὶ τῆς πειραστικῆς* etc.). Qua de re accuratius agit Th. Waitz (cf. Aristotelis Organon Graece II, 528).

³⁾ cf. IX, 34 p. 183 b 38 sqq.

⁴⁾ cf. VIII, 5 p. 159 a 25 sqq.

quae ad ipsa Topica pertineant. Veluti animum advertimus in librum quintum observatione adducti Kirchmanni. Qui dicit (cf. Erläuterungen zur Topik des Aristoteles, Philos. Bibl. vol. XC [1883], pag. 67 adn. 45): „Man wird hier bald bemerken, dass der Stil in diesem (V.) Buche erheblich gegen den der früheren Bücher absticht; einfache Gedanken und Regeln werden mit einer Weit-schweifigkeit und Schwerfälligkeit vorgetragen, welche gegenüber dem sonst überaus bündigen Stil des Aristoteles aufserordentlich auffällt; dies zeigt sich schon hier (c. 2) und zieht sich durch das ganze Buch fort; auch selbst die Gedanken sind oft so trivial, dass man Mühe hat, dieses Buch als die eigene Arbeit des Aristoteles anzuerkennen; indessen ist ein solcher Zweifel bis jetzt von keinem Kommentator erhoben worden.“ Accuratus non agit de hac re. Perpendentes librum quintum brevi tempore invenimus ea re, quam Kirchmannus commemorat, non sola differre hunc librum a ceteris, sed etiam rationem singulorum locorum alienam esse ab Aristotelica. Itaque nobis persuasum est quintum librum non ab Aristotele ipso esse compositum.

I.

De rebus.

§ 1.

De definitione notionis proprii.

Aristoteles, quid sit ἴδιον, definit I, 5 p. 102 a 18, cum dicit ἴδιον ὄντιν ἢ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μόνω δ' ὑπάρχει καὶ ἀντι-κατηγορεῖται τοῦ πράγματος. Separatur hac definitione proprium a ceteris problematum generibus. Etenim, quod non significat τὸ τί ἦν εἶναι, non est definitio, quod rei inest soli, non genus, quod reciprocatur cum re (i. e. quod rei semper et necessario inest), non accidens. Tum ποτέ et πρὸς τι ἴδιον negat re vera esse propria (cf. 102 a 22 οὐδεὶς γὰρ ἴδιον λέγει τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλω ὑπάρχειν οὐδ' ἂν τύχη κατὰ τινα χρόνον μόνω ὑπάρχον. εἰ δ' ἄρα τι καὶ λέγοιτο τῶν τοιούτων ἴδιον, οὐχ ἀπλῶς ἀλλὰ ποτέ ἢ πρὸς τι ἴδιον ῥηθήσεται). Quod qua de causa nolit haberi pro proprio, e tota ratione Aristotelis facile intellegitur. Agit enim de proprio et de genere imprimis definitionis gratia.¹⁾ Ad definitionem vero constituendam ποτέ et πρὸς τι ἴδιον spectat minime, quoniam utrumque prorsus alienum est a natura definitionis. Aristoteles igitur apertissime negat tribuendam esse his generibus vim proprii. Quae cum ita sint, non intellegimus, qua de causa primo capite libri quinti (p. 128 b 16 sqq.) de his ipsis generibus accuratius agatur. Praeterea V, 3 p. 131 b 5 denuo in censum vocat τὸ νῦν (ποτέ) ἴδιον auctor libri quinti, cum dicit ἔπειτ' ἀνασκευάζοντα μὲν εἰ τὸ νῦν ἴδιον ἀποδίδουσι μὴ διωρίζαιτο ὅτι τὸ νῦν ἴδιον ἀποδίδουσι: οὐ γὰρ ἔσται καλῶς κείμενον τὸ ἴδιον. Hoc prorsus abhorrere a ratione Aristotelica apparet ex eis, quae sequuntur. Firmat enim auctor hanc

¹⁾ cf. IV, 1 p. 120 b 13 ἔστι δὲ ταῦτα (scil. γένος καὶ ἴδιον) στοιχεῖα τῶν πρὸς τοὺς ὄρους.

legem, cum dicit v. 7 πρῶτον μὲν γὰρ τὸ παρὰ τὸ ἔθος γινόμενον ἅπαν διορισμοῦ προσδεῖται· εἰώσασι δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πάντες τὸ ἀεὶ παρακολουθοῦν ἴδιον ἀποδιδέσθαι. Quod falsum est. Non plerumque proprium ponitur, quod rei semper inest, sed semper; nihil aliud proprium est nisi hoc, id quod apertissime dicit Aristoteles I. s. s. Non quod omnes proprium appellare solent, cum rei semper insit, sed id, quod rei soli et necessario inest, re vera proprium est. Sed pergit auctor (v. 9) δεύτερον δὲ ἀδηλὸς ἐστὶν ὁ μὴ διορισάμενος εἰ τὸ νῦν ἴδιον ἐβούλετο δεῖναι. Ne hoc quidem probari potest. Etenim si quis non addit se dicere τὸ νῦν ἴδιον, dubium non est, quin vere proprium significare velit. Itaque hic locus repugnat definitioni proprii I, 5 constitutae.

Ad hanc definitionem non respiciunt plerique loci capituli secundi et tertii. Quibus quaeritur, utrum καλῶς i. e. recte positum sit proprium necne, quam rationem omnino non esse probandam alio loco videbimus. Natura proprii his locis prorsus negligitur, cum plerumque ea, quae eis praescribuntur, non minus valeant ad cetera genera problematum quam ad proprium. Veluti quaeritur

V, 2 p. 129 b 2 εἰ μὴ διὰ γνωριμωτέρων ἢ γνωριμωτέρων κείται τὸ ἴδιον,

p. 129 b 30 εἴ τι τῶν ὀνομάτων τῶν ἐν τῷ ἴδιῳ ἀποδεδομένων πλεοναχῶς λέγεται ἢ καὶ ἕλος ὁ λόγος πλείω σημαίνει. Quae non minorem habent vim ad genus et definitionem ponendam.

p. 130 b 23 εἰ πλείω ἴδια ἀποδίδωσι τοῦ αὐτοῦ,

V, 3 p. 131 b 19 εἰ τοιοῦτο ἀπέδωκε τὸ ἴδιον, ὃ φανερὸν μὴ ἐστὶν ἄλλως ὑπάρχον ἢ αἰσθῆσαι. Quod si probatur, ad omnia problematum genera valet.

Definitionem proprii his omnibus locis in animo non habet auctor.

§ 2.

De dispositione libri quinti.

Liber quintus dividitur in partes duas, quarum altera (c. 2. 3) quaeritur, quomodo constituendum sit proprium, ut καλῶς i. e. recte ponatur (cf. V, 2 p. 129 b 1 πρῶτον μὲν εἰ μὴ καλῶς ἀποδέδοται τὸ ἴδιον ἢ καλῶς), altera (c. 4—9) explicatur, quae leges sint observandae, ut omnino sit proprium id, quod ponitur (cf. V, 4 p. 132 a 23 πότερον δ' ἴδιον ἐστὶν ἕλος τὸ εἰρημένον ἢ οὐκ ἴδιον, ἐκ τῶνδε

θεωρητέον). Apparet illam partem ad verba ¹⁾, hanc ad res spectare. Similem quandam divisionem exhibet liber sextus, quo de definitione agitur. Hanc quaestionem Aristoteles dividit in quinque partes (cf. VI, 1 p. 139 a 24 Τῆς δὲ περὶ τοῦ ὅρου πραγματείας μέρη πέντε ἐστίν), quarum quinta quaeritur, utrum definitio recte sit posita necne (cf. VI, 1 p. 139 a 34 λοιπὸν δὲ παρὰ τὰ εἰρημένα, εἰ ὄρισται μὲν, μὴ καλῶς δ' ὄρισται). Hoc aliquam vim habet ad definitionem constituendam. Ea enim complura complectitur verba (cf. VI, 1 p. 139 a 28 δεῖ γὰρ τὸν ὀριζόμενον εἰς τὰ γένος δέντα τὰς διαφορὰς προσάπτειν), itaque eam recte positam esse interest. Praeterea magni momenti est definitionem recte prolatam esse, quod, si definitio non recte posita est, quantum ad verba, alia quaedam est definitio, cuius verba melius sunt electa. Cum autem rei non plus quam una definitio esse possit, satis est demonstrare aliam definitionem rectius positam esse, quantum ad verba, ut prior definitio refellatur.²⁾ Longe aliter res sese habet in proprio constituendo. Proprium non e compluribus notionibus constare solet, ut definitio, sed ex una.³⁾ Itaque plerumque eadem quaeritur ratione, aut rectene sit proprium positum aut sitne omnino rei proprium, quod constitutum est. Accedit alia causa. Proprium non est pars definitionis, sicut genus, sed qualitas, ut ita dicam. (Quae componitur e genere et differentiis.) Necesse autem est ad definitionem constituendam genus et differentias semper et necessario praedicari de re sola. Hoc modo definitio propria est rei.⁴⁾ Itaque e tota Aristotelis ratione satis est exponere in quinto libro, quaenam leges sint observandae, ut id, quod ponitur, omnino sit proprium rei, verba recte posita esse huius quaestionis non multum interest. Quod erat tractandum eo loco, quo de ipsa definitione agebatur: hoc quidem fecit Aristoteles. Denique interrogandum est, cur, quoniam in proprio de verbis ponendis agatur, non fiat hoc in genere, accidente tractandis, quippe quae item ad definitionem sint referenda. Quod imprimis mirum est in genere. Cuius ratio cum proprii arte coniungenda est⁵⁾, praesertim cum et de genere et de proprio raro quaeratur in disputationibus (cf.

¹⁾ cf. Anal. pr. I, 34 p. 48 a 1 sqq.

²⁾ Quod exponitur compluribus locis, veluti VI, 4 p. 141 a 35.

³⁾ Quibus de causis non probemus, quod dicit auctor V, 3 p. 132 a 10 proprio addendum esse genus, alio loco videbimus.

⁴⁾ cf. VI, 1 p. 139 a 28. 31.

⁵⁾ cf. IV, 1 p. 120 b 13.

IV, 1 p. 120 b 14 περι αὐτῶν δὲ τούτων ὀλιγάκις αἱ σκέψεις γίνονται τοῖς διαλεγόμενοις). Quod cum ita esset, verba omnino poterant negligi in quinto quoque libro, idquod factum est in quarto. Ne hoc quidem omittendum est: saepius cum disputaretur de accidente, magis in secundo libro occasio erat data quaerendi, utrum recte esset positum accidens necne, sed ne in hoc quidem libro exstat ea quaestio.

Notione καλῶς ὀρίζεσθαι Aristoteles ita utitur VI, 1, ut eam quasi novam videatur inducere. Legimus enim VI, 1 p. 139 a 34 λοιπὸν δὲ παρὰ τὰ εἰρημένα, εἰ ὄρισται μὲν, μὴ καλῶς δ' ὄρισται. deinde p. 139 b 6 λοιπὸν δ', (εἰ μὴ ὄρισται) ἢ εἰ μὴ καλῶς ὄρισται. πῶς μετιτέον, εἰπεῖν. πρῶτον μὲν οὖν ἐπισκεπτέον, εἰ μὴ καλῶς ὄρισται. Eis, quae sequuntur, accuratius explicat, qua de causa opus sit hoc quoque in censum vocari, cum dicit βῆρον γὰρ ὀτιοῦν ποιῆσαι ἢ καλῶς ποιῆσαι. δῆλον οὖν ὅτι ἡ ἀμαρτία περὶ τοῦτο πλείων, ἐπειδὴ ἐργωδέστερον, ὥσθ' ἡ ἐπιχείρησις βῆρων ἢ περὶ τοῦτο ἢ ἡ περὶ ἐκεῖνο γίνεται. Mirum esse censeo, si Aristoteles quinto libro peracto, in quo eandem partem quaestionis tractavisset, hoc loco diceret, qua de causa de hac ipsa re sibi esset agendum, cum id non fecisset illo. Quo, quid ista quaestio sibi vellet, magis opus erat explicari quam VI, 1. Si Aristoteles ipse egisset in quinto libro de proprio recte constituendo, notionem καλῶς non induxisset VI, 1 novam. Verisimile est eum, qui composuit librum quintum, neque proprii neque definitionis natura satis perspecta rationem libri sexti secutum esse, idquod ex aliis quoque rebus apparet.

Haec libri quinti dispositio non est probanda, cum multorum eorum locorum, quibus de verbis agi significetur, omnino non ad verba sed ad res spectent. Quos examinemus singulos.

V, 2 p. 129 b 2 postulatur, ut proprium ponatur per notiora (διὰ γνωριμωτέρων). Quod utrum probandum sit necne, omnino quaeri potest. Sin autem probamus hanc rationem, ad verba huius locum referendum esse negamus. Cuius similis exstat locus VI, p. 141 a 26 (πρῶτον μὲν εἰ μὴ διὰ γνωριμωτέρων καὶ προτέρων πεποιήται τὸν ὄρισμένον). Sed hoc loco non agitur de definitione recte constituenda, sed quaeritur, utrum omnino rei definitio (τί τίς ἦν εἶναι, cf. v. 24) posita sit necne.

V, 2 p. 130 a 29 legimus sententiam refelli, si saepius idem in proprio sit dictum (εἰ πλεονάκις εἴρηται τὸ αὐτὸ ἐν τῷ ἴδιῳ). Quod non ad res spectare concedimus. Neque vero omittendum est Aristotelem (VI, 3 p. 140 b 27) de hac re agere non eo loco, quo ostendit

quibus rebus obscurior fiat definitio—idquod habemus V, 2—sed quo demonstrat non plura esse dicenda in definitione, quam necesse sit, quod magis probandum esse censemus.

V, 3 p. 130 b 38 proprium recte positum esse negatur, si ipsa res adhibetur in proprio constituendo sive res, quae rei subiecta est, i. e. species, cuius genus ea res est, cuius proprium explicatur. Qui locus ad verba referri nequit. Ac primum quidem Aristoteles ipse in libro sexto (c. 4 p. 142 a 34) non agit de hoc loco in eis capitibus, quae ad verba spectant. Sed omnino illud proprium non est. Etenim si proprium rei ponitur, quod res quaedam est species—id quod fit in exemplo refellendi rationi adiecto (ὅλον ἐπεὶ ὁ εἶπας ζῶον ἴδιον οὐσίαν ἢς εἰδός ἐστιν ἄνθρωπος, p. 131 a 4)—hoc non dici potest de re sola, sed de omnibus generibus, quibus ipsa res est subiecta.¹⁾ Itaque illa notio non est propria rei. Firmat hanc legem auctor, cum negat notiosem esse rem quam ipsam et cum ostendit ea, quae subiecta sunt rei, posteriora esse rei.²⁾ Ne hoc quidem si accipimus, probare possumus hunc locum recte vindicari parti ad verba spectanti.

V, 3 p. 131 a 27 proprium non recte explicatum esse legimus, εἰ τὸ μὴ ἀεὶ παρεπόμενον ἴδιον ἀπέδωκεν, ἀλλὰ τοῦτο, ὃ γίνεται ποτε μὴ ἴδιον. Quem locum ambiguum esse censet Waitzius.³⁾ Neque enim idem esse, utrum pro proprio sumptum sit τὸ μὴ ἀεὶ παρεπόμενον (id quod aliquando omnino non praedicetur de eo, cuius proprietas constituatur) an τὸ γινόμενόν ποτε μὴ ἴδιον (id quod aliquando non sit proprium, quamquam semper de eo praedicari possit). Hoc concedimus. Sed quaerendum est, num hic locus ad verba spectet. Si intellegimus refellendum esse id, quod aliquando omnino non praedicatur, hoc referendum esse ad verba concedi nequit. Nam si quid aliquando non inest rei, non est proprium, quoniam non cum re recipitur.⁴⁾ Sin autem intellegimus id refelli, quod aliquando non est proprium, quamquam semper rei inest, negandum est hoc fieri posse, nisi id, quod proprium ponitur, aliquando non de re sola praedicatur. Sed ne hoc quidem proprium est. Ipse enim dicit Aristoteles I, 5 p. 102 a 22 ὅτι εἰς γὰρ ἴδιον λέγει τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλῳ ὑπάρχειν οὐδ' ἂν τύχη

¹⁾ cf. IV, 2 p. 122 a 3.

²⁾ cf. IV, 2 p. 123 a 14.

³⁾ cf. II, 483 (131 a 28).

⁴⁾ cf. I, 5 p. 102 a 18 ἴδιον μόνῳ δ' ὑπάρχει καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ ἀγμάτος.

κατὰ τὴν χρόνον μόνον ὑπάρχειν. Itaque ex Aristotelis ipsius ratione intellegimus ne hunc quidem locum pertinere ad verba. Cuius similis exstat V, 4 p. 133 a 12. Ibi quaeritur εἰ μὴ ἐνδέχεται ἄρα ὑπάρχειν ἢ οὐ τοῦνομα. Ex exemplo (v. 16 οὐκ ἂν εἴη τὸ βαδίζειν διὰ τῆς ἀγορᾶς τοῦ ἀνθρώπου ἴδιον) apparet hoc quoque loco fere idem tractari atque πρὸς ἴδιον. Cur duo illi loci non parti vindicentur eidem, non intellegimus, cum quin uterque ad res spectet, dubium non sit.

V, 3 p. 131 b 5. Qui locus coniungendus est cum eō, qui praecedit. Negatur enim proprium recte esse positum, quod nunc proprium sit, nisi explicetur hoc nunc proprium esse. Non opus est demonstrare, qua de causa haec ratio referri nequeat ad verba, cum ad hunc locum idem valeat atque ad illum. (Sed quaerendum est, quid hic locus omnino sibi velit. Mirum enim est, quod omnino disseratur de eo, quod nisi praesenti tempore proprium non est, cum V, 1 p. 129 a 34 legamus περὶ δὲ τῶν αἰεὶ καὶ τῶν κατ' αὐτὸ [scil. ἴδιον] διὰ τῶνδε θεωρητέον. Itaque ad hoc genus proprii omnes libri quinti pertinent loci. Quae cum ita sint, hic locus omnino supervacaneus est. Non recte hanc legem firmare auctorem demonstravimus pag. 7 sq. Qui cum hunc locum componeret, in animo videtur habuisse, quod scriptum est I, 5 p. 102 b 20 δῆλον δ' ἐξ αὐτῶν ὅτι συμβεβηκὸς οὐδὲν κωλύει ποτὲ καὶ πρὸς τὸ ἴδιον γίνεσθαι. Exemplum exhibet uterque locus fere idem. Quae de re si omnino erat acturus — idquod non videtur in animo habuisse V, 1 p. 129 a 34, — non debuit confundere hoc cum his locis, qui ad id pertinent, quod semper atque necessario proprium est.)

V, 3 p. 131 b 37 quaeritur εἰ τὸν ὄρον ὡς ἴδιον ἀπέδωκεν. Ipse negat hoc probandum esse auctor, cum definitio significet τὸ τί πρὸς εἶναι. Sed quid hoc ad verba? Ipse dicit Aristoteles I, 5 p. 102 a 18 ἴδιον δ' ἐστὶν ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι. Hoc respicit ad naturam proprii eodem modo, quo quod proprium rei soli inest, cum ea reciprocatur.

§ 3.

De probandi et refellendi ratione.

Aliter tractatur probandi et refellendi ratio in libro quinto atque in ceteris libris. Quod ut demonstramus, pauca nobis sunt praemittenda de usu artis dialecticae. Partes suscipiunt disputa-

tionis duo homines, qui ad finem¹⁾ quendam disputant de quadam re.²⁾ Quorum alter proponit, qua de re agatur, cum alterum interrogat, sed ita, ut alteri nihil sit respondendum nisi 'ita' aut 'minime'.³⁾ Ubi alter respondit, sententia pronuntiata ei defendenda est. Alter, qui interrogat, eis, quae placuerunt respondenti, ad syllogismum perficiendum utitur propositionibus. Quibus probare conatur primam illam sententiam a respondente acceptam falsam esse. In libris Topicorum Aristoteles tradit, quibus legibus observatis recte disputari possit.⁴⁾ Locos ita tractat, ut doceat, quemadmodum eis haec sententia probetur, illa refellatur. Facillime autem intellegitur plures locos utiles esse ad refellendas quam ad probandas sententias, quoniam permultis locis demonstrari potest sententiam aliqua ex parte esse rectam, nequit ostendere eam prorsus esse accipiendam, idquod necesse est, ut adversarius concedere cogatur sese convictum esse. Qua de re Aristoteles agit VII, 5 p. 154 a 23 sqq., quantum ad definitionem, genus, proprium, accidens. Quo loco apparet exceptis eis, quae ab accidente⁵⁾ proficiscuntur, genera sententiarum omnia multo facilius redargui quam confirmari. Quod Aristoteles in locis explicandis non neglexit. Locum enim nunquam ad confirmandi rationem utilem esse dicit, nisi eo demonstrari potest sententiam ex omnibus partibus esse rectam. Non dicit in ceteris libris sententiam lege quam posuit observata accipiendam esse 'quantum ad hoc' (κατὰ τοῦτο), idquod permultis exstat locis libri quinti. Ista ratio, quam non sit utilis in disputando, in promptu est. Etenim si hoc modo probari conatur, sententia examinanda est omnibus artis dialecticae legibus adhibitis. Quod si factum est, nondum probata est sententia, quia dubitari potest, an omnes illae leges sufficiant ad hoc. Ab usu disputandi hanc apparet abhorrere rationem. Nihil igitur valet ad artem dialecticam sententiam probari aliqua ex parte. Sed accuratius rationem libri quinti percenseamus. Quo in libro omnis loci altera pars ad refutandam, altera ad confirmandam spectat sententiam paucis locis exceptis⁶⁾, quibus ipsa natura loci alia quaedam

¹⁾ cf. VIII, 5 p. 159 a 25 sqq.

²⁾ cf. I, 10. 11.

³⁾ cf. I, 4 p. 101 b 32, ubi exstat exemplum huius rationis quaerendi (πρότερον τὸ ζῆλον περὶ δέπουν ὁρισμός ἐστιν ἀνθρώπου ἢ οὐ;).

⁴⁾ cf. I, 1 p. 100 a 18.

⁵⁾ cf. p. 155 a 28 ῥῆστον δὲ πάντων κατασκευάσαι τὸ συμβεβηκός.

⁶⁾ Veluti V, 5 p. 133 a 5, ubi aliter animadvertendum est refellenti atque

poscitur ratio. Capitis secundi et tertii, quae ad verba pertinent, ne unus quidem locus idoneus est, quo demonstratur proprium recte esse positum, itaque adscribitur confirmandi rationi et sententiae exempli gratia adiectae κατὰ τοῦτο. Quod exstat

V, 2 p. 129 b 24. 29 p. 130 a 10. 13. 26. 27 b 7. 9. 20. 21. 34. 36 c. 3 p. 131 a 7. 10. 22. 25 b 1. 3. 16. 32. 36 p. 132 a 6. 8. 18. 21.

Quibus capitibus libri quinti opponantur libri sexti cc. 2 et 3, quibus similiter quaeritur, rectene sit explicata definitio. Nihil dicitur in his capitibus de confirmandi ratione, κατὰ τοῦτο, quod illa capita exhibent saepissime, invenitur nusquam. Praeterea legimus V, 2 p. 129 b 23 ἔσται γὰρ καλῶς κατὰ τοῦτο κείμενον τὸ ἴδιον (quod spectat ad legem, quae praecedit), τῶν γὰρ κατασκευαστικῶν τύπων τοῦ καλῶς οἱ μὲν κατὰ τοῦτο μένον οἱ δ' ἀπλῶς δείξουσιν ὅτι καλῶς. Ac primum quidem propari nequit hoc vindicari eis locis solis, qui a proprio proficiscantur, cum permultis aliis ceterorum librorum nihil possit demonstrari nisi sententiam aliqua ex parte esse rectam. Praeterea mirum esse existimo, quod in illis capitibus ne unus quidem invenitur locus, quo probari possit proprium omnino (ἀπλῶς) esse recte explicatum, quamquam ipse dicit auctor οἱ δ' ἀπλῶς δείξουσιν ὅτι καλῶς.¹⁾ Quod haud scio an is, qui conscripsit librum quintum, quodammodo conetur emendare; dicit enim V, 4 p. 132 a 24 οἱ γὰρ ἀπλῶς κατασκευάζοντες τὸ ἴδιον ὅτι καλῶς κείται τέποι οἱ αὐτοὶ ἔσσονται τοῖς ἴδιον ἔλωσ ποιούσιν, i. e. eos locos, quibus simpliciter demonstratur proprium recte explicatum esse, eosdem esse atque eos, quibus ostendatur id, quod praedicatum sit, omnino proprium esse rei. Hoc quoque falsum est ex Aristotelis ratione. Etenim, cum in promptu sit καλῶς κείμενον spectare ad verba et ad res ἔλωσ, fieri potest ut res careant offer-

confirmanti, — V, 4 p. 133 b 31, ubi praescribitur, quemadmodum defendenda sit sententia ab eo, qui sophisticè disputet, — V, 6 p. 136 a 34 locum falsum esse in affirmatione, — V, 6 p. 136 a 6, V, 7 p. 137 a 18, V, 8 p. 138 a 1 b 22, ubi locum non esse adhibendum affirmandi rationi legimus.

¹⁾ Hoc omnino fieri posse nego. Etenim utrum re vera proprium aliquid rei cuiusdam, probari potest prorsus (ἀπλῶς). Haec ratio e definitione proprii apparet. Itaque si probatum est aliquid de re praedicari sola et recipiari cum re neque τὸ τί ἦν εἶναι significare, refelli nequit hoc proprium esse. Sed id, quod auctor καλῶς ἀποδίδουσαι vocat, ad proprii definitionem non respicit neque ipsum accuratius definiiri potest; quoniam notio καλῶς nequit constitui certis legibus artis dialecticae ita ut notio proprii.

sione, cum verba non recte sint posita. Hoc ipsum Aristoteles in animo habet, quod dicit VI, 1 p. 139 b 8 de eadem re βᾶρον γὰρ δτιοῦν ποιῆσαι ἢ καλῶς ποιῆσαι. Praeterea is, qui probare conatur aliquid proprium esse rei cuiusdam, nunquam a verbis proficiscitur, idquod abhorret ab omni disputandi ratione, sed a rebus. (Si loci illi, quos commemorat auctor V, 4 p. 132 a 24 re vera eidem essent, prorsus supervacanea essent cc. 2 et 3.) Illa ratio nullo loco exstat Topicorum. In sexto quoque libro ea, quae pertinent ad verba, accuratissime seiunguntur ab eis, quae ad res, neque confunduntur duae illae quaestiones, quod fit V, 4 p. 132 a 24. Hanc sententiam ut adderet, is, qui librum composuit quintum, adductus est, cum intellexeret id, quod oppositum esset notioni κατὰ τοῦτο (scil. ἀπλῶς, cf. V, 2 p. 129 b 25), locum non habere in capitibus ad verba spectantibus (2. 3). Auctor fere omnes locos adhibet ad confirmandi rationem et ad refellendi. Ne in posteriore quidem parte (c. 4—9) deest illud κατὰ τοῦτο. Veluti legimus

V, 5 p. 134 a 14 (οὐ γὰρ κινήσεται κατὰ τοῦτο τὸ ἴδιον).

v. 16. 17 (οὐκ ἂν κινούτο κατὰ τοῦτο . . . ἴδιον τὸ ζῶον ἐπιστήμης δεκτικόν).

V, 9 p. 139 a 18 (ἔσται γὰρ κατὰ τοῦτο καλῶς κείμενον¹⁾ τὸ ἴδιον).

v. 20 (εἴη ἂν κατὰ τοῦτο καλῶς κείμενον τὸ ἴδιον).

Plerumque altera parte omnis loci, qui ad probandi rationem valet, nihil exponitur nisi offendi non posse in proprio, si illa lex sit observata, quae altera parte tradita est. Cum autem illa lege saepissime non possit demonstrari thesin ex omnibus partibus esse probandam, additur cetera observari necesse esse, quibus omissis proprium constitui nequeat. Ab Aristotele nunquam additur simile quid in ceteris libris Topicorum. Etenim si probatum est sententiam esse accipiendam, quantum ad hoc, saepe probatum est fere nihil, cum cetera omnia nondum sint probata. Quod illustremus exemplis.

V, 4 p. 132 b 30 legimus ἔσται γὰρ ἴδιον τὸ κείμενον μὴ εἶναι ἴδιον, εἰάνπερ κατὰ μόνων κατηγορηται, ὧν εἴρηται ἴδιον. Sed ne hoc quidem addere satis est, quia fieri potest, ut non semper ei attribuat id, quod dictum est proprium esse, idquod opus est, ut re vera sit proprium.

¹⁾ Mirum est, quod scribitur καλῶς κείμενον. Ille enim locus non ad verba respicit, sed ad res. Confunduntur igitur duae illae notiones (scil. καλῶς et ἔλωσ) hoc quoque loco.

V, 4 p. 133 a 6 additur ἀντικατηγορούμενου τοῦ πράγματος, i. e. cum ei attribuat res vicissim. Apparet eam legem non valere ad confirmandi rationem, nisi demonstratum sit rem quoque praedicari de eo, quod proprium esse positum est, et quidem de eo solo et semper. Sed hoc maximum est in proprio constituendo atque multo difficilius probatu quam id, quod illa lege observata demonstratum est, scil. proprium non per participationem quandam positum esse.

V, 4 p. 133 a 18 additur κατασκευάζοντα δὲ εἰ ἅμα ἐξ ἀνάγκης αἰεὶ ὑπάρχει μήτε ἕρος ἢν μήτε διαφορὰ. ἔσται γὰρ ἴδιον τὸ κείμενον μὴ εἶναι ἴδιον. Si quis secundum hanc legem probare conaretur thesin, ei esset demonstrandum id, quod positum est, semper praedicari de re necessario, tum esset probandum neque definitionem neque differentiam positam esse. Sed ne hoc quidem satis est, cum fieri possit, ut illa notio rei non insit soli.

V, 5 p. 135 a 14 κατασκευάζοντα δὲ εἰ μὴ αὐτὸ μὲν αὐτοῦ ἴδιον ἀπέδωκεν, ἀντικατηγορούμενον δ' ἔδειχεν. ἔσται γὰρ ἴδιον τὸ κείμενον μὴ εἶναι ἴδιον. Quo loco optime potest intellegi eam confirmandi rationem non posse adhiberi in disputationibus. Vetatur enim quidquam poni proprium sui ipsius. Demonstrari hoc haud scio an omnino opus non sit. Qua lege observata probatum non est proprium rei inesse, i. e. accidens esse.

Loci capitum 6—8 fere omnes ad probandi rationem re vera valent. Auctor omnibus his locis eam tractat. Quam Aristoteles similibus locis, quos infra¹⁾ afferemus, non commemorat nisi eis, qui non sunt utiles ad affirmandum.

Quae cum ita sint, non est difficile intellectu dispositionem singulorum locorum, quam exhibet liber quintus, non esse accommodatam ad usum artis dialecticae, cum paucis locis sententiae possint affirmari, refelli omnibus. Quod nunquam Aristoteles omisit, saepissime is, qui librum quintum conscripsit.

Denique locum afferamus, quo non recte tractatur confirmandi ratio. (V, 4 p. 132 a 34). Negatur enim 132 a 27 proprium esse rei, quod non omnibus singulis rebus, quas complectatur illa ratio, insit aut non secundum eius rei rationem, cuius ponatur proprium. v. 34 legimus κατασκευάζοντα δ' εἰ κατὰ παντὸς ἀληθεύεται καὶ κατὰ τοῦτ' ἀληθεύεται. Quod rectum non est. Nam si probatum est aliquid praedicari de omnibus his rebus singulis, nondum demo-

¹⁾ pag. 41 sqq.

stratum est his rebus illam notionem inesse solis et semper. Itaque apparet falsam esse hanc rationem confirmandi. Probatum est illud rei inesse: cetera, quae sunt demonstranda, non probantur notione κατὰ τοῦτο observata.

§ 4.

De exemplis.

Exempla, quae afferuntur ad leges illustrandas, in omnibus libris Aristotelicis summa diligentia sunt electa. Quibus Aristotelem non exiguam tribuisse vim inde apparet, quod arte dialectica discipuli imbuebantur prima; cuius haud scio an illi multas intellegere non potuerint leges exemplis non adiectis. Sed ut ceteris rebus ita exemplis offendimur libri quinti. Quae, quantum ad res, non ita sunt vituperanda, quoniam ipsa non multum differunt a ceteris. Neque hoc mirum est, cum plerumque sint translata e ceteris libris. Sed saepissime offendimur exemplorum usu.

Ac primum quidem genera quaedam afferamus eorum, quae nobis displicent in exemplis libri quinti. Exemplum accuratissime debet accommodatum esse ad eam ipsam legem, cui adscribitur. Quod ut fiat, opus est eo exemplo, quo illustretur refellendi ratio, apertissime demonstrari sententiam non esse accipiendam, quod illa ipsa lex, de qua agitur, sit neglecta. Id autem, quod peccatum est, non ita stultum esse debet, ut nemo in hoc vitium incidat. Exemplo, quo ornatur probandi ratio, opus est ostendi fieri non posse, quin thesis probetur, quod ea ipsa lex sit observata. Oportere diximus exempla adscribi refellendi rationi, quae non se refellant ipsa, cum error sit nimis apertus. Tales enim non praeferuntur sententiae in disputationibus, nisi in sophisticis sive eristicis, sed de eis non agitur in libris Topicorum. Haec omnia in exemplis ceterorum librorum ponendis observantur, negleguntur saepissime in quinti libri. Quod illustremus exemplis allatis singulis.

V, 2 p. 130 b 15 legimus οἷον ἐπεὶ ὁ τοῦ ἐπιστήμης ἴδιον ὑπέκλειψεν ἀμετάπειστον ὑπὸ λόγου, ἐν ὧν. Quo exemplo ea ornatur lex, qua vetatur adhiberi quicquam in proprio explicando, quod omnibus rebus attribui possit. Illam autem sententiam, cum in ea insit notio ἐν ὧν, quae de omnibus rebus praedicetur, falsam esse. Sed haud scio an nemo tam expers sit omnis rationis, ut, cum velit proprium rei tradere, quod de re sola praedicari opus

est, talem proferat notionem, qualem omnibus rebus inesse quasi primo aspectu nemo sit quin intellegat. Praeterea in hoc exemplo ipso nihil inest, quod de omnibus rebus praedictur (ἐπιστήμη ἴδιον ὑπέληψεν ἀμετάπειστον ὑπὸ λόγου). Quo loco demonstrari potest, unde traxerit exemplum auctor. Legimus enim IV, 6 p. 127 a 26 πάλιν εἰ τὸ πᾶσιν ἀκολουθοῦν γένος ἢ διαφορὰν εἶπεν. πλείω γὰρ τὰ πᾶσιν ἐπέμμενα, ὅσον τὸ ὄν καὶ τὸ ἐν τῶν πᾶσιν ἐπομέων ἐστίν. Simillimus igitur hic locus. Exemplum non adscripsit Aristoteles. Ille autem auctor similibus non inventis notionibus — ne VI, 3 p. 140 a 24¹⁾ quidem, ubi de eadem re agit Aristoteles exemplum exstat — easdem addidit notiones huius loci illustrandi causa. (Dicat quispiam mirum esse, quod hi quoque loci similem exhibent rationem [IV, 6, VI, 3]. Sed in genere et differentia longe alia est explicandi ratio atque in proprio, quoniam utraque notio rei non soli inesse debet. Hic fieri potest, ut notiones ἐν et ὄν aliquis attribuat alicui rei genus. Sed hoc rectum non est: nam si hoc liceret, genus et species de eisdem rebus praedicarentur.)

V, 3 p. 131 a 4 legimus ὅσον ἐπεὶ ὁ εἶπας ζῴου ἴδιον οὐσίαν ἢ εἶδος ἐστίν ἄνθρωπος. Vetatur illa lege adhiberi in proprio constituendo species rei. Exemplum non est bene electum, cum in eo non solum adhibeatur species, sed quod species quaedam inest rei, (i. e. proprium non solum exhibet notionem speciei, idquod illa lege vetatur, sed nihil aliud explicatur proprio nisi speciem rei subiectam esse).

V, 3 p. 131 a 35 ὅσον ἐπεὶ ὁ πῆλιξ ζῴου ἴδιον τὸ κινεῖσθαι ποτε καὶ ἐστάναι τοιοῦτον ἀπέδωκε τὸ ἴδιον ὃ οὐ γίνεται ποτε ἴδιον, οὐκ ἂν εἴη, καλῶς κείμενον τὸ ἴδιον. Haud scio an nemo sit tam stultus, ut, cum proprium ponere velit, quod semper rei attribui opus est, ipse suam vitiosam esse sententiam addita notione ποτέ significet.

V, 4 p. 132 b 21 ὅσον ἐπεὶ ὁ ἀποδοῦς ἴδιον τοῦ λεπτομερεστάτου σώματος τὸ πῦρ τὸ ὑποκείμενον ἀπέδωκε τοῦ κατηγορουμένου ἴδιον, οὐκ ἂν εἴη etc. Quod exemplum non est idoneum, quo illustretur locus, cum dubitari possit, utrum lex an exemplum sit difficilius intellectu.

Quae exempla ad refellendi spectant rationem. Pauca de eis addamus, quibus leges ad probandi rationem versae illustrantur. Multos locos non recte adhiberi in libro quinto probandi rationi

¹⁾ πρῶτον μὲν σκοπεῖν εἴ τι κέρηται ὃ πᾶσιν ὑπάρχει ἢ ὅπως τοῖς οὐσίαις τοῖς ὑπὸ ταῦτο γένος τῶ ὀριζομένῳ.

supra ostendimus. Hoc loco eisdem offendimur rebus atque illo. E ceterorum librorum exemplis semper intellegi potest sententiam esse accipiendam, quod illa ipsa lex sit observata, cui adscripta sint. Quod non ita sese habet in multis exemplis libri quinti. Quibus saepissime nihil demonstratur nisi in ea re non esse peccatum, de qua illo loco agitur, non ostenditur fieri non posse, quin accipiatur thesis, cum illa ipsa lex sit observata. Saepissime non multum valet ad universam sententiam probandam id, quod demonstratum est. Itaque exemplis, cum non sint accommodata ad eos locos, quibus adiecta sunt, rationes saepius obscurantur quam illustantur, quoniam exempla non minus esse idonea, quibus ceteri omnes ornentur loci, videntur. Nonnulla afferamus.

V, 2 p. 130 a 29 vetatur in proprio saepius dici idem, b 5 legimus κατασκευάζοντα δὲ εἰ μηδενὶ χρῆται πλεονάκις ὄνματι τῶ αὐτῷ. Sequitur exemplum: ὅσον ἐπεὶ ὁ εἶπας ἀνθρώπου ἴδιον ζῴον ἐπιστήμη δεκτικὸν — οὐ χρῆται τῶ αὐτῷ πλεονάκις ὄνματι, εἴη ἂν κατὰ τοῦτο καλῶς ἀποδεδέμενον τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἴδιον. In hoc exemplo re vera idem non dicitur saepius, sed haud scio an hunc locum magis illustret quam ceteros omnes. Sed cum illa ratio tam facile intellegi possit, omnino carere possumus exemplo. Non adscripsit exempla Aristoteles permultis locis similibus, quos afferre longum est.

V, 2 p. 130 b 35 exemplum additur ὄνματι ἴδιον σῶμα τὸ εἰς ἅπαν σχῆμα ἀγόμενον simillime ei legi, qua 130 b 23 vetantur plura propria eiusdem rei poni, cum non dicatur haec plura esse propria. Ne huic quidem rationi opus est exemplo. Similiter

V, 3 p. 131 a 8 ζῴου ἴδιον τὸ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συγκείμενον. Quod accipiendum esse legimus ea de causa, quod non res ipsa aut species rei adhibeatur in proprio ponendo.

V, 3 p. 132 a 7 affertur ἀνθρώπου ἴδιον ζῴον ἡμερον φύσει, quo exemplo demonstratur non definitionem pro proprio prolatam esse.

V, 9 p. 139 a 18 idem exstat exemplum, quo ostenditur non superlacione positum esse proprium. Fere nunquam factum est, ut ita dicam, exemplum ad eum ipsum locum ornandum, cui adscriptum est, idquod praedicari potest de exemplis ceterorum librorum.

Quae cum ita sint, quod saepissime eadem exempla adduntur compluribus locis sine ullo discrimine, mirum non est. Quod maxime apparet ex his exemplis:

ἄνθρωπος — ζῷον ἐπιστήμης δεκτικόν

V, 1 p. 128 b 35	V, 4 p. 132 b 1
2 „ 130 b 8	„ 133 a 20
3 „ 132 a 19	„ 134 a 14

ἄνθρωπος — ζῷον πεζὸν δίπουν

V, 3 p. 132 a 1	V, 5 p. 134 a 29
4 „ 133 b 8	7 „ 136 b 20
5 „ 134 a 8	

ζῷον — τὸ ζῆν

V, 5 p. 134 a 32	V, 8 p. 138 a 11
„ 134 b 4	„ 138 a 27
6 „ 136 a 26	

ζῷον — αἰσθάνεσθαι πεφυκός

V, 2 p. 129 b 35	V, 8 p. 137 b 24
4 „ 133 a 8	„ 138 a 6
5 „ 134 b 2	„ 138 a 28

Alia exempla iterantur saepius paullum mutata. Praeterea idem exemplum cum probandum tum refellendum esse in quinto libro demonstratur, i. e. adhibetur et probandi et refellendi rationi. Veluti

V, 4 p. 133 a 4 negatur probandum esse ἀνθρώπου ἴδιον τὸ πεζὸν δίπουν, cum proprium rei insit per participationem (κατὰ μέθεξιν). Idem exemplum probatur V, 4 p. 133 b 8 et V, 7 p. 136 b 20, i. e. ornat confirmandi rationem.

V, 8 p. 138 a 7 reprehendendam esse legimus sententiam, qua exponatur animalis proprium esse sentire, idem fit V, 5 p. 134 b 2 ea de causa, quod sententiae non est additum τῷ μετέχειν. Probatur haec thesis V, 8 p. 138 a 28 et V, 8 p. 137 b 23, similiter V, 2 p. 129 b 28.

V, 5 p. 134 a 32 praescribitur, si quis ponat proprium animalis esse vivere (ζῶον τὸ ζῆν), addendum esse ἀπλῶς (simpliciter), sive 134 b 4, si quis attribuat animali cuidam proprium vivendi (τοῦ τινὸς ζῶον τὸ ζῆν), adscribendum esse τῷ μετέχειν (quia sit particeps). Quae sententia probatur tribus locis non adiectis notionibus illis. (V, 6 p. 136 a 25 οἷον ἐπεὶ τοῦ μὴ ζῶου ἴδιόν ἐστι τὸ μὴ ζῆν εἴη ἂν τοῦ ζῶου ἴδιον τὸ ζῆν. — V, 8 p. 138 a 10 οἷον ἐπεὶ ἡττόν ἐστιν ἴδιον ἀνθρώπου τὸ ἡμερον φύσει ἢ ζῶου τὸ ζῆν, ἔστι δ' ἀνθρώπου ἴδιον τὸ ἡμερον φύσει, εἴη ἂν ζῶου ἴδιον τὸ ζῆν. — V, 8 p. 138 a 27 ἐπεὶ ἡττόν ἐστιν ἴδιον ζῶου τὸ αἰσθάνεσθαι ἢ τὸ ζῆν, ἔστι δὲ ζῶου τὸ αἰσθάνεσθαι ἴδιον, εἴη ἂν τοῦ ζῶου τὸ ζῆν ἴδιον.)

V, 3 p. 132 a 10 negatur proprium recte explicatum esse, si non sit additum genus, ut ζῶου ἴδιον τὸ φυγῆν ἔχειν. Quae thesis probatur, quamquam deest genus, duobus locis, V, 2 p. 130 b 20, ubi sententia non probatur, nisi quantum ad hoc, et V, 4 p. 132 b 16, quo loco simpliciter probatur.

Sed in quarto libro similis invenitur discrepantia. Legimus enim IV, 2 p. 122 a 30 ὥστ' εἴη ἂν γένος ἢ φορὰ τῆς βαδίσσεως, et 122 b 32 ἢ γὰρ βάδισις οὐ δοκεῖ φορὰ εἶναι. Quae cum ita sint nimiam non existimo tribuendam esse vim huic rei, quantum ad librum quintum. Tamen mirum est, quod in hoc libro hae differentiae exstant tam saepe. Hoc intellegimus considerantes rationem confirmandi in hoc abhorrere a ceterorum librorum. Qua plerumque nihil probatur nisi accipiendam esse sententiam aliqua ex parte. Itaque auctor eisdem poterat uti exemplis et ad probandi et ad refellendi rationem ornandam, quia non toto exemplo, sed aliqua eius parte, ut ita dicam, ei opus erat. Quae cum ita sint, factum est, ut loci quinti libri multo minus valeant ad rerum rationem explicandam quam ceterorum librorum. Itaque ars dialectica, quae in hoc traditur libro, multis locis similis fit arti eristicae, in qua ei, qui disputant, rebus prorsus omissis rationem e verbis solis trahunt.

Denique pauca afferamus singula, quae nobis displiceant in exemplis.

V, 2 p. 129 b 30 vetatur nomen dici proprium, quod sit ambiguum (πλεοναχῶς λέγεται). Praeterea non recte explicatum esse proprium, si tota oratio plura significet.¹⁾ Vituperandum est, quod non est adscriptum exemplum, cuius oratio plura significet tota, idquod difficilius est intellectu quam altera ratio.²⁾ Alterum exemplum male electum est (τοῦ ζῶου ἴδιον — τὸ αἰσθάνεσθαι πεφυκός), cum utraque vis verbi αἰσθάνεσθαι (scil. αἰσθῆσθαι ἔχειν et αἰσθῆσαι γρησθαι) recte animalis proprium poni possit.

V, 2 p. 130 a 15 proprium non recte explicatum esse legimus, si res ipsa sit ambigua (εἰ πλεοναχῶς λέγεται τοῦτο οὐ τὸ ἴδιον ἀποδίδοσι)³⁾, exempli causa additur plura significare τὸ ἐπίστασθαι

¹⁾ Cuius loci exstant similes I, 15 p. 106 a 1 — II, 3 p. 110 a 23 — (III, 3 p. 118 b 27 — IV, 3 p. 123 a 27) — VI, 2 p. 139 b 19 — (VI, 5 p. 142 b 30) — VI, 10 p. 148 a 23 — VIII, 7 p. 160 a 17 — IX, 4 p. 165 b 30 — (IX, 6 p. 168 a 25).

²⁾ Afferit exemplum Alexander pag. 378, 3.

³⁾ cf. VI, 2 p. 139 b 23.

τοῦτο (i. e. ἐπιστήμην ἔχειν αὐτό et ἐπιστήμη χρῆσθαι αὐτό et ἐπιστήμην εἶναι αὐτοῦ et ἐπιστήμη χρῆσθαι αὐτοῦ). Quod exemplum nimis artificiose compositum est sophisticamque exhibet rationem. Recte Kirchmannus (pag. 69 adn. d) ἐπίστασθαι omnino esse ambiguum negat, si coniungatur cum aliis notionibus. Quod exemplum, cum non inveniatur alio Topicorum loco, is videtur fabricatus esse, ut ita dicam, qui librum conscripsit quintum. Sed hic usus ambiguitatis non est dialectice disputantis, sed eristice.

V, 4 p. 132 b 10 obscura quadam ratione explicat auctor non esse hominis proprium animal esse scientiae capax. Cum enim recte de deo praedicetur animal esse scientiae capax cumque hominem esse de deo non praedicetur, non esse hominis proprium animal esse scientiae capax. Qui locus cum non sit difficilis intellectu¹⁾, obscurior redditur exemplo quam dilucidior.

V, 4 p. 133 a 12 cavendum esse dicit auctor, ne 'posterius aut prius' sit proprium quam res, cuius nomen praedicetur.²⁾ Quod concedimus, nam si haec lex negligitur, res et proprium non recipiuntur. Exemplo autem hic locus non recte illustratur (scil. τὸ βαδίζειν διὰ τῆς ἀγορᾶς τοῦ ἀνθρώπου ἴδιον). Quod refellendum esse legimus, cum cuiuspiam prius aut posterius inesse possit, quod ambulat in foro, quam quod homo est. Sed hoc falsum est. Nam aliquis homo est aut nunquam aut semper. Itaque hoc loco dicendum erat 'non per idem tempus' de re praedicari proprium et nomen, i. e. nomen semper inesse sive praedicari, id quod positum est proprium, aliquando. In hoc exemplo non insunt notiones prius aut posterius. Nihil eo illustrari nisi id, quod aliis locis ποτὲ ἴδιον vocatur, in promptu est.

V, 4 p. 133 a 35. Cui legi artificiosiora adscripta sunt exempla (b 1. 7), quorum haud scio an non exhibeant similia ceteri libri.

V, 6 p. 135 b 17 exempla non quadrare in sensum, quem exhibet ille locus, recte Kirchmannum demonstravisse existimo (cf. pag. 78 adn. 49).

¹⁾ Cuius similes inveniuntur II, 2 p. 109 b 30 — IV, 2 p. 122 b 7 — VI, 1 p. 139 a 25.

²⁾ ἢ οὗ τοῦνομα, i. e. secundum Waitzium (II, 486 ad 133 a 13) ἢ τοῦτο κατ' οὗ τοῦνομα ἀληθεύεται, quam id, cuius proprietates constituantur.

§ 5.

Quae ratio intercedat inter librum quintum et sextum.

In libro quinto saepius legimus rem similiter se habere atque illis locis, qui ad definitionem spectant (καθάπερ ἐν τοῖς ἔροις). Quod invenitur

V, 2 p. 130 a 31 130 b 14. 25
3 „ 132 a 11 (καθάπερ καὶ τῶν ἔρων).

Quamquam fere omnes loci accidentis, generis, (proprii) ad definitionem recte ponendam referendi sunt, tamen Aristoteles etsi definitionem nonnullis locis commemorat, semper universam, ut ita dicam, rationem definitionis construendae in animo habet¹⁾, nunquam singulos locos inter se comparat. Eodem modo Aristoteles, si quem locum comparat cum alterius libri, non utitur locis nisi eorum librorum, qui praecedunt.²⁾ In ceteris quoque libris definitio quodammodo adhibetur. Veluti II, 4 p. 111 b 12 legimus μὴ εὐποροῦντι δὲ ἐπιχειρήματος πρὸς τὴν δέσιν σκοπεῖν ἐκ τῶν δρισμῶν ἢ τῶν ὄντων τοῦ προκειμένου πράγματος ἢ τῶν δοκούντων. Sed hic locus eiusque similes spectant non ad definitiones secundum leges artis dialecticae compositas, (de quibus sexto libro agitur), sed ad ampliore potestatem verborum ἔρος et δρισμός.³⁾ Quod ita esse apparet e verbis ἢ τῶν ὄντων ἢ τῶν δοκούντων. Neque enim Aristoteles, si intellexeret definitionem secundum leges artis dialecticae compositam, adhiberet numerum pluralem, quoniam compluribus legimus locis libri sexti rei non esse definitionem nisi unam.⁴⁾ (Dicat quispiam ab interprete quodam adiecta esse verba καθάπερ ἐν τοῖς ἔροις in libro quinto. Hoc non est rectum; neque enim sunt adscripta illa verba similibus locis ceterorum librorum, desunt in quarto libro, id quod magni momenti esse censeo, quippe cuius loci ipsi quoque ad definitionem spectant, quod initio libri⁵⁾

¹⁾ Ut IV, 1 p. 120 b 13 (ἔστι δὲ ταῦτα, scil. γένος καὶ ἴδιον, στοιχεῖα τῶν πρὸς τοὺς ἔρους).

²⁾ Veluti IV, 1 p. 120 b 17 καθάπερ ἐπὶ τοῦ συμβεβηκότος, IV, 5 p. 124 b 8 καθάπερ ἐπὶ τοῦ συμβ. ἐλέγετο. Quorum similia inveniuntur multa.

³⁾ Haec amplior notio aliis locis vocatur λόγος, veluti II, 2 p. 109 b 30 (ἄλλος τὸ λόγους ποιεῖν τοῦ τε συμβεβηκότος καὶ ὃ συμβέβηκεν.)

⁴⁾ Ut c. 4 p. 141 a 34.

⁵⁾ c. 1 p. 120 b 13.

explicatur. In hoc occasio definitionis commemorandae non minus erat data.)

E singulis quoque locis apparebit auctorem rationem libri sexti saepissime ita secutum esse, ut videatur quasi vim inferre singulis locis, idquod etiam e dispositione totius libri intelleximus. In hac quoque quaestione magni momenti est, quod ab ipso libro quarto abhorret liber quintus. Quem si Aristoteles ipse composuisset, proprium eodem modo tractatum esset, quo genus. Iam ad singula.

V, 2 p. 129 b 2 quaeritur, εἰ μὴ διὰ γνωριμωτέρων ἢ γνωριμωτέρων κείται τὸ ἴδιον. VI, 4 p. 141 a 26, ubi eadem res tractatur, discernitur, utrum aliquid nobis sit notius an omnino notius¹⁾, i. e. secundum Aristotelis rationem, an natura prius sit. Quas notiones non seiungit auctor libri quinti.²⁾ Hoc multum valet ad alteram partem huius loci. V, 2 p. 129 b 14 enim postulatur, ut non solum proprium notius sit re, sed etiam ut notius sit hoc ipsum proprium rei inesse (δεῖ γὰρ μὴ μόνον εἶναι γνωριμώτερον τοῦ πράγματος, ἀλλὰ καὶ δεῖ τῷ ὑπάρχον γνωριμώτερον ὑπάρχειν). Quid est notius? Quod idem esse potest atque satis notum. Quam vim non habet, cum scriptum sit γνωριμώτερον τοῦ πράγματος. Itaque intellegi debet opus esse, quod proprium rei inest, notius esse quam rem ipsam. Sed hoc abhorret ab omni ratione. Etenim si minus notum est, quid res sit, fieri non potest, ut notius sit huic ipsi rei inesse quidquam. Neque enim prius statui potest, quid insit rei, quam examinatum est, quid sit³⁾ res ipsa. Sed apparet notius hoc loco non esse omnino notius, sed nobis notius. Etenim si esset intellegendum omnino notius, opus esset natura prius esse, quod quid rei inesset quam ipsam rem. Quod absurdum est. Longe aliter res se habet in libro sexto l. s. s. Hic enim quaeritur, num τὸ τί ἴσθι εἶναι, id quod nos 'das eigentliche Wesen' vocamus, positum sit. Quod per notiora poni necesse est, ut definitio probetur. Plures enim erunt rei definitiones hac lege neglecta, i. e. accedet ad eam, quae posita est, alia eaque melior definitio, quippe quae per notiora posita sit: hac refellitur definitio illa.⁴⁾ Praeterea ipsa definitio-

¹⁾ Vernacula lingua subjektiv oder objektiv bekannter.

²⁾ Idem fit V, 3 p. 131 a 12.

³⁾ Quod dicimus 'quid sit res', non intellegimus definitionem secundum artem logicam constructam, sed fere id, quod vernacula vocamus lingua 'die nähere Beschaffenheit des betr. Subjekts'.

⁴⁾ cf. VI, 4 p. 141 a 32.

natura postulatur, ut notior (i. e. natura prior) sit quam res. Definitio enim, quippe qua significetur τὸ τί ἴσθι εἶναι, etiam τὸ τί ἐστίν exhibet. Sed τὸ τί ἐστίν genus rei est¹⁾, quod definitioni inesse necesse est.²⁾ Genus omnino notius, (i. e. natura prius) est re.³⁾ Sin autem auctor ille postulat, ut proprium re sit notius, hoc non est proprium ipsum sed definitio. Eam quidem Aristoteles vocat ἴδιον I, 4 p. 101 b 17 sqq., priusquam latiorem proprii notionem dividit in partes duas (ἕρος, ἴδιον). Artiores autem notiones ab auctore confunduntur. Denique notionem nobis noti — si hanc in animo habet auctor — multum valere Aristoteles negat VI, 4 p. 141 b 5. E definitione proprii⁴⁾ colligi nequit proprium notius esse re. Videmus igitur auctorem hanc legem transtulisse e libro sexto in quintum. Quae cum recte adhibeatur in definitione, non habet locum in proprio constituendo.

V, 2 p. 130 b 23 vetantur plura eiusdem rei propria poni, quae non explicentur plura esse. Hoc rectum non est. Firmat hanc legem auctor, cum dicit καθάπερ γὰρ οὐδ' ἐν τοῖς ἕροις δεῖ παρὰ τὸν δηλοῦντα λόγον τὴν οὐσίαν προσκείσθαι τι πλέον, οὕτως οὐδ' ἐν τοῖς ἴδιοις παρὰ τὸν ποιῶντα λόγον ἴδιον τὸ βῆδ' ἐν οὐδὲν προσαπτέον. Sed quod ad definitionem, non valet ad proprium. Id enim, quod additur definitioni, quamquam non pertinet ad rem definiendam⁵⁾, alia definitio esse nequit, quoniam plures non sunt eiusdem rei definitiones.⁶⁾ Quod autem plura propria ponuntur, non est vituperandum, quia plura sunt propria eiusdem rei. Quae si ponuntur, addi haec plura esse prorsus puto supervacaneum esse. (Praeterea cum dicat auctor V, 2 p. 129 b 7 proprium γνώσεως ἕνεκα poni, non est vituperandum, quod quis, ut rem prorsus illustret, plura profert propria. Equidem puto auctori in animo fuisse sophisticam quoque rationem, quae vocatur τὸ ποιῆσαι ἀδολοσχῆσαι τὸν προσδιαλεγόμενον⁷⁾, quam ipse commemorat V, 2 p. 130 a 33).

V, 3 p. 132 a 10 postulat auctor, ut in proprio ponendo explicetur, quid res sit (— εἰ μὴ εἰς τὸ τί ἐστίν ὁ δεῖς ἀπέδωκε τὸ ἴδιον). Quod aliter intellegi nequit nisi genus addendum esse. Hoc ex eis quoque

¹⁾ cf. I, 5 p. 102 a 32.

²⁾ cf. VI, 1 p. 139 a 27.

³⁾ cf. IV, 2 p. 123 a 14. 15.

⁴⁾ cf. I, 5 p. 102 a 18.

⁵⁾ cf. VI, 3 p. 140 a 24.

⁶⁾ cf. VI, 5 p. 142 b 35.

⁷⁾ cf. IX, 3 p. 165 b 15 et IX, 13 p. 173 a 32.

apparet, quae sequuntur (v. 11 δεῖ γὰρ τῶν ἰδίων, καθάπερ καὶ τῶν ὄρων τὸ πρῶτον ἀποδίδουσαι γένος). Quod non esse probandum ex Aristotelis ratione inde apparet, quod Aristoteles in exemplis primi libri, quibus illustrat, quid sit ἴδιον, nunquam adscripsit genus. Veluti legimus I, 5 p. 102 a 19 οἷον ἴδιον ἀνθρώπου τὸ γραμματικῆς εἶναι δεκτικόν. Quo loco secundum libri quinti rationem deest ζῶον. Ne eis quidem propriis, quae aliquando aut per relationem vocantur propria, genus adiecit Aristoteles (cf. v. 26 b 22.). Ipse auctor non adscripsit genus in permultis exemplis libri quinti. Deest enim his locis:

V, 1 p. 128 b 19. 20 (similiter p. 129 a 4, V, 3 p. 131 b 17) 25 (similiter p. 129 a 8) 37, p. 129 a 11, b 10

V, 2 p. 129 b 18. 26. 35 (sim. V, 4 p. 133 a 8, V, 5 p. 134 b 2, V, 8 p. 137 b 24, p. 138 a 28)

V, 3 p. 131 a 18. 35, b 1. 12. 34 (sim. V, 8 p. 138 a 15)

V, 4 p. 132 a 31, b 16, p. 133 a 16. 26. 30, b 1

V, 5 p. 134 a 30. 31 (sim. p. 134 b 32) 32 (sim. p. 134 b 4, V, 6 p. 136 a 26, V, 8 p. 138 a 11. 27) 33. 34, p. 135 a 12. 33

V, 6 p. 135 b 10. 14. 19. 32, p. 136 a 1

V, 7 p. 136 b 17. 27. 31. 36, p. 137 a 35

V, 8 p. 137 b 6. 18 (sim. p. 138 a 15) 36, p. 138 a 6. 23. 33, b 8. 18.

Quibus locis auctor ipse neglexit hanc legem. Quam alienam esse a natura proprii demonstrare conabimur. Ac primum quidem ex exemplorum ratione apparet interdum difficilius esse genus rei ponere quam proprium.¹⁾ Deinde proprium genere addito obscurius fieri existimo quam genere non adiecto. Etenim si quis proprium ponit cum genere coniunctum, haec notio plerumque separari nequit a definitione, cum haec componatur e genere et differentia, proprium secundum V, 3 e genere et notione rei propria. Quae illa lege observata facillime potest confundi cum differentia. Definitioni quoque proprii ab Aristotele ipso constitutae illa lex repugnat. Qui dicit I, 5 p. 102 a 18 ἴδιον δ' ἐστὶν ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, id quod repetit I, 8 p. 103 b 10. Ex hac ratione non probamus proprium significare τὸ τί ἐστίν (genus). In defini-

¹⁾ Veluti cf. exempla, quae exstant V, 1 p. 128 b 19, p. 129 a 11, c. 3, p. 131 a 18, b 34, c. 5, p. 135 a 12. 33, b 32, c. 8, p. 137 b 18, p. 138 b 18.

tione constituenda genus deesse non debet, quoniam opus est, ut explicetur τὸ τί ἦν εἶναι (quid res sit), poni τὸ τί ἐστίν (quae res sit s. genus). Equidem censeo auctorem, ut hoc praescriberet, loco adductum esse libri sexti (c. 5 p. 142 b 22), ubi legimus — εἰ ἐν γένει τοῦ πράγματος ὄντος μὴ κείται ἐν γένει. ἐν ἅπασιν δὲ τὸ τοιοῦτον ἀμάρτημά ἐστιν, ἐν οἷς οὐ πρόκειται τοῦ λόγου τὸ τί ἐστίν etc. (Quod valet ad definitionem, non ad proprium, quia illius genus pars est, proprium aliquid esse potest genere non adiecto. Sequitur 132 a 12 ἔπειδ' οὕτως ἤδη προσάπτεσθαι τὰ λοιπὰ καὶ χωρίζειν. Cum his verbis comparemus, quae exstant VI, 1 p. 139 a 28, scilicet δεῖ γὰρ τὸν δριζύμενον εἰς τὸ γένος δέντα τὰς διαφορὰς προσάπτειν. Hunc quoque locum auctor videtur in animo habuisse. Sed quid χωρίζειν (p. 132 a 13)? Quod idem significat atque notio τὰς διαφορὰς προσάπτειν. Separatur enim (χωρίζεται) res a ceteris eiusdem generis speciebus differentiis adiectis, i. e. fines rei constituuntur, ut ita dicam. Haec ratio non habet locum in proprio ponendo. Si quis separat rem a ceteris speciebus, non proprium addit sed differentias.¹⁾ Neque vero differentiae rei sunt propriae secundum Aristotelem. Videtur auctor imitatus esse illum locum libri sexti. Sed quod rectum est in definitione constituenda, dico χωρίζειν sive τὰς διαφορὰς προσάπτειν, non potest adhiberi in proprio. Pari modo illud χωρίζειν invenimus V, 2 p. 130 b 12 (ἀχρεῖον γὰρ ἔσται τὸ μὴ χωρίζον ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς ἰδίοις καθάπερ καὶ ἐν τοῖς ὄροις. Ne hoc quidem loco recte dixit auctor καθάπερ ἐν τοῖς ὄροις). Eadem est res atque illo loco. Restat, ut afferamus locum libri septimi, quippe qui videatur attingere hunc. Ubi legimus c. 5 p. 154 b 15 ὅς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ ἐν συμπλοκῇ τὸ ἴδιον ἀποδίδεται etc. Hic idem videtur dictum esse atque in libro quinto.²⁾ Tamen Waitzii puto rationem esse probandam, qui explicat locum libri septimi, cum dicit (II, 510) proprietatem rei definiri non solere solam, sed ita, ut qui proprietatem rei constituat, simul eius definitionem velit proponere. Aristoteles dicit proprium plerumque poni quasi in oratione, qua definiatur res. Non mittendum est de proprio Aristotelem agere maxime definitionis gratia. Accedit, quod negat IV, 1 p. 120 b 13 saepius disputari de genere et de proprio, quae sint στοιχεῖα τῶν πρὸς τοὺς ὄρους. Itaque Waitzii interpretationem

¹⁾ Alexander (pag. 388, 18) hanc rem non explicat.

²⁾ Veluti Alexander (pag. 514, 4) duos illos locos inter se coniungendos esse censet.

probantur duos illos locos inter se coniungendos esse non arbitramur.

Denique ad definitionem spectant, quae leguntur V, 5 p. 135a 9. Ubi eum refelli dicit auctor, qui rem posuerit proprium sui ipsius. Quod firmat, cum ostendit id, quod idem sit atque res, significare τὸ εἶναι, hoc autem exponi definitione, non proprio. Locus ipse vituperandus non est¹⁾, sed offendimur firmandi ratione. Non solum definitione explicatur τὸ εἶναι, sed etiam genere.²⁾ Neque vero genus neque definitionem positam esse ex exemplo apparet opus esse (v. 12). Illustrat enim refellendi rationem auctor, cum dicit οἷον ἐπεὶ ὁ εἶπας καλοῦ τὸ πρέπον ἴδιον εἶναι, i. e. decorum esse proprium honesti. Neque tamen decorum honesti est definitio. Quam non verbum esse dicit Aristoteles sed λόγον.³⁾ Illo loco libri primi idem exstat exemplum. Itaque non definitio, sed simile quid definitionis positum esse potest, quod Aristoteles δρικόν vocat.

§ 6.

Quae ratio intercedat inter librum quintum et nonum.

Inveniuntur nonnulli loci in quinto libro, quibus apparet auctorem cognovisse librum nonum, cui inscribitur Περὶ σοφιστικῶν ἐλέγγων. Quam ad quaestionem disceptandam opus est constitui, quo ordine singulae partes Topicorum conscriptae et ad finem perductae sint. Qua in re eam existimo accipiendam esse rationem, quam secutus est Henricus Maierus.⁴⁾ Qui primam esse partem Topicorum dicit libros II—VII c. 2, quoniam Aristoteli primum fuerint loci colligendi.⁵⁾ Tum ab Aristotele conscriptos esse libros VII, 3—5, I, VIII, denique additum esse librum nonum, cui inscribitur Περὶ σοφιστικῶν ἐλέγγων.⁶⁾ Quod valet ad hanc quaestionem. Exhibet enim liber

¹⁾ Cuius similis exstat II, 6 p. 112 b 21.

²⁾ cf. I, 5 p. 102 a 32.

³⁾ cf. I, 5 p. 102 a 2 (ἔσοι δ' ἑποῦσθ' ὀνόματι τὴν ἀπόδοσιν ποιῶνται, δὲ ὡς ὅτι ἀποδιδόσθαι οὗτοι τὸν τοῦ πράγματος ἔρισμόν, ἐπειδὴ πᾶς ἔρισμός λόγος τὸ ἔστιν δρικόν μόντοι καὶ τὸ τοιοῦτον ἡτέρον. οἷον ἔτι καλόν ἐστι τὸ πρέπον).

⁴⁾ cf. 'Die Syllogistik des Aristoteles' II b p. 78 sqq. adn. 3.

⁵⁾ cf. IX, 34 p. 184 b 2 ἀλλὰ τριβῆ ζητούντες πολὺν χρόνον ἐπονοῦμεν. Quod non solum ad artem cristicam, i. e. ad nonum librum, sed etiam ad dialecticam, i. e. ad Topica referendum est.

⁶⁾ Tertium et septimum librum posterioribus temporibus compositum esse putat Zellerus (II, 2 p. 72 adn. 2).

quintus nonnulla ex nono libro recepta. Veluti legimus V, 2 p. 130a 5—8 ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ἀναγκαῖόν ἐστιν ἐλεγγὸν τινα γίνεσθαι τοῖς οὕτως ἀποδιδόσαι τὸ ἴδιον, ὅταν ἐπὶ τοῦ διαφωνοῦντός τις ποιῆ τὸν συλλογισμὸν. Quo loco Maierum offendunt notiones συλλογισμὸς et ἐλεγγος. Συλλογισμὸς in ea parte Topicorum, quam statuimus conscriptam esse primam, non invenitur nisi nonnullis locis libri sexti¹⁾, sed his Maierus recte censet verbum συλλογισμὸς non esse terminum technicum i. e. hanc non esse notionem syllogismi dialectici I, 1 p. 100 a 25 constitutam, cum ea notione sit usus Aristoteles VIII, 3 p. 153 a 8 quasi nova. Maioris est momenti, quod hic locus exhibet vocem ἐλεγγος. Haec omnino non exstat in libris I—VIII; agitur de ea in libro nono.²⁾ Quae cum ita sint, Maierus censet hanc sententiam aut additam esse ab Aristotele illis temporibus, cum libros I—IX ad finem perduxerat, aut ab interprete quodam adscriptam esse. Quod non concedimus. Omisit enim Maierus alium locum libri quinti, qui haud minus spectat ad artem cristicam, dico V, 2 p. 130 a 33. Ubi legimus ἀσαφὲς οὖν ἀναγκαῖόν ἐστι γίνεσθαι καὶ πρὸς τούτοις ἀδολεσχεῖν δοκοῦσιν. Reprehenditur illo loco, quod saepius idem dictum est in proprio. Quod si fiat, obscuriorem esse demonstrationem, praeterea eum, qui posuerit thesin, videri nugari (ἀδολεσχεῖν). Voce ἀδολεσχεῖν Aristoteles utitur in nono libro termino tecnico. Sophistice enim disputantis interest efficere, ut alter nugetur.³⁾ Ἀδολεσχεῖν non invenitur in libris I—VIII nisi VIII, 2 p. 158 a 28. Quae res non differt ab eis, quae diximus de voce ἐλεγγος. Etenim in nono et in quinto libro ἀδολεσχεῖν est terminus technicus, non in octavo, cum in hoc non ad eum spectet, qui respondet, sed ad eum, qui interrogat, sicut in nono et quinto. Hic in libro octavo reprehenditur, quod unam rationem diu interrogat. Quod si faciet in promptu esse eum aut nugari aut non habere syllogismum. Itaque ἀδολεσχεῖν hoc loco non eandem habet vim atque in libro quinto et nono. Cum V, 2 p. 130 a 33 simillimam invenerimus sententiam eius, quam Maierus eicere vult, non probamus hanc (p. 130 a 5—8) deleri. Quam si eiceremus, alteram quoque delere opus est, quod ut faciamus nulla re adducimur. Ne ipsum quidem Aristotelem adscripsisse utramque

¹⁾ cf. VI, 2 p. 139 b 30, c. 10 p. 148 b 8, c. 12 p. 149 a 37.

²⁾ c. 4 sqq.

³⁾ cf. IX, 3 p. 165 b 15 καὶ πέμπτον τὸ ποιῆσαι ἀδολεσχῆσαι τὸν προσδιαλεγόμενον, (τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ πολλάκις ἀναγκάζεσθαι ταῦτ' εἰπεῖν) et IX, 13 p. 173 a 32 sqq.

posterioribus temporibus censemus. Quod si fecisset, aliis quoque locis exstarent earum similes, quarum non minus data erat occasio adscribendarum. Itaque auctor ipse libri quinti e nono libro traxit illas rationes.

Tres accedunt loci, quorum arte cohaeret ratio cum sophistica.

V, 3 p. 131 b 19 legimus non recte positum esse proprium, quod non aliter cognoscatur rei inesse atque sensu (αἰσθησει). Abhorret haec ratio ab artis dialecticae usu. Cuius non est verum indagare sed concludere e verisimilibus.¹⁾ Saepissime facilius disceptatur, propriumne sit aliquid rei, quam probatur, aliter ac sensu posse intellegi proprium rei inesse. Non exhibent ceteri libri huius loci similem. Qua de causa haec ratio plus valeat ad proprium ponendum quam ad cetera problematum genera, nescimus. (Waitzius II, 484 negat hunc locum multum differre ab eo, quo, quod proprium sit, ita constituendum esse dixerit auctor, ut non alio tempore aliter se habeat: nam quae sensibus subiecta sint, tempore interiecto mutari, ut temporis notio ab iis separari nequeat. Tamen non intellegimus, qua de causa subtilior illa ratio proprio vindicetur soli.)

V, 5 p. 134 a 5. Hic locus rationem habet non minus sophisticam. Legimus enim probandum non esse, si quis, cum velit id ponere, quod natura rei insit, hoc dicat ea ratione, ut significet hoc esse aliquid, quod semper insit rei, i. e. ut dicat αἰεὶ ὑπάρχον pro φύσει ὑπάρχον.²⁾ Auctor, cum dicit αἰεὶ ὑπάρχον, intellegit ἴδιον. Sed quod semper inest, proprium esse non necesse est, cum fieri possit, ut rei insit non soli. Itaque hic locus ad alteram partem proprii spectat, non ad utramque. Cuius sophisticam esse rationem ex exemplo (v. 8) apparet. Proprium enim ponitur hominis, quod bipes est. Quod refelli posse, cum hoc insit homini natura, non semper. Hominem enim natura duos habere pedes, non omnem hominem pedes habere duos. Quae ratio nulla nititur alia re nisi exceptione. Ea autem uti non est recte disputantis sed sophistae. In ceteris libris huius ratio non exstat similis. Quam si sequeremur, multas, ne dicam omnes theses refellere possemus et Aristotelis et illius auctoris. Veluti Aristoteles ipse dicit I, 5 p. 102 a 20 hominis proprium capacem esse grammaticae. Tamen fieri potest.

¹⁾ cf. I, 1 p. 100 a 20. 27. 29.

²⁾ Quid sit φύσει ὑπάρχον, cf. Alexander pag. 399.

ut sit homo, quin grammaticae sit capax. Eadem valent ad multa libri quinti exempla.

V, 9 p. 139 a 9 proprium non recte poni ὑπερβολῆ (superlacione) legimus. Etenim proprium, si positum sit superlacione, perire non una cum re. Corrupta autem re ipsa aliam esse rem, cui proprium insit. Itaque non ignis proprium esse corpus esse levissimum. Nam aliquam fore rem, quae sit levissima, si ignis non iam sit. Sed mirum est, quod auctor ipse hanc legem saepius neglexit. Veluti legimus:

V, 2 p. 130 b 29 ἴδιον πυρὸς σῶμα τὸ λεπτότατον καὶ κουρότατον, idquod simile est eius, quod refellitur hoc loco. V, 2 nihil vituperatur, nisi quod duo propria posita sunt.

V, 2 p. 129 b 10 πυρὸς ἴδιον εἶναι τὸ δμοιότατον ψυχῆς (non per notiora dictum est proprium).

V, 5 p. 134 a 31 πυρὸς (ἴδιον) τὸ λεπτομερέστατον (deest εἶδει). Similiter V, 5 p. 134 b 32.

V, 4 p. 132 b 31 γῆς ἴδιον σῶμα τὸ βαρύτερον τῷ εἶδει. Hoc probatur.

V, 2 p. 130 b 1 γῆς (ἴδιον) οὐσία ἢ μάλιστα κατὰ φύσιν φερομένη τῶν σωμάτων εἰς τὸν κάτω τέπον (saepius idem dictum est).

V, 5 p. 135 a 28 θαλάττης ἴδιον τὸ πλεῖστον ὕδωρ ἄλυρον.

V, 3 p. 131 a 18 ἀγαθοῦ ἴδιον ἢ κακῷ μάλιστα ἀντίκειται (non recte id adhibetur, quod rei oppositum est).

V, 3 p. 131 a 23 ἐπιστήμης ἴδιον ὑπέληψεν τὴν πιστοτάτην. Hoc probatur.

V, 6 p. 135 b 10 δικαιοσύνη βέλτιστον, ἀδικία χείριστον. (Quod alia de causa refellitur.)

Quae exempla, utrum refellendi an probandi adscripta sint rationi, non multum pertinet ad hanc quaestionem. Auctor enim, cum statuisset hanc legem, ne in eis quidem debuit uti superlacione exemplis, quibus refellendi ornavit rationem. Neglexit legem in nonnullis quoque exemplis confirmandi adiectis rationi. Auctor non satis perspicit, quid valeant leges, quas ipse statuerit. Praeterea ratio huius loci similis non invenitur in ceteris libris Topicorum.

II.

De sermone.

§ 7.

De usu verborum.

Exhibet liber quintus cum nonnulla verba tum artis vocabula, quorum usus alienus est a ceterorum librorum.

a) κινεῖν (κινεῖσθαι).

Non significatur hoc verbo refellendi ratio nisi in libro quinto. In quo legimus c. 1 p. 128 b 27 ἀμφοτέρως ἂν κινεῖτο τὸ ἴδιον etc. c. 5 p. 134 a 7 δέξῃς γὰρ ἂν κινεῖσθαι τὸ κείμενον εἶναι ἴδιον, v. 13 οὐ γὰρ κινήσεται κατὰ τοῦτο τὸ ἴδιον, v. 16 οὐκ ἂν κινεῖτο κατὰ τοῦτο. Apparet auctorem termino tecnico uti hoc verbo. Κινεῖν s. κινεῖσθαι similem habet vim Polit. II, 8 p. 1268 b 28 (κινεῖν τοὺς πατρίους νόμους, i. e. mutare leges patrias) et de caelo I, 5 p. 271 b 10 (οὗτος γὰρ τοῦλάχιστον εἰσαγαγὼν τὰ μέγιστ' ἂν κινήσειε τῶν μαθηματικῶν) et ib. I, 8 p. 277 a 9 (ὅστ' ἀναγκαῖον ἦ κινεῖν τὰς τὰς ὑποθέσεις . . .). Tamen mirum est, quod hoc verbum in ceteris libris Topicorum non invenitur, cum in his occasio adhibendae vocis illius non minus sit data quam in quinto.

b) ὁ δεῖς.

Is, qui problema ponit, in quinto libro saepius vocatur ὁ δεῖς (c. 2 p. 129 b 9. 18 p. 130 b 15 c. 3 p. 131 a 8. 23. 35 p. 131 b 1 p. 132 a 6. 10. 17. 19 c. 4 p. 133 a 8 c. 5 p. 135 a 17. 33 c. 9 p. 139 a 18). Hoc participium omnino non est apud Aristotelem terminus technicus. Exstat in exemplis quinti libri (οἷον εἶπαι ὁ δεῖς). Aristoteles aliter, i. e. brevius, exempla solet proferre.

ad inducenda exempla nullam vocem nisi οἷον adhibet (in Topicis et in ceteris libris Organi).¹⁾

In nonnullis exemplis libri quinti eandem vim habet atque ὁ δεῖς participium ὁ δέμενος (c. 3 p. 131 b 12. 25. 33). Quod quamquam in Organo exstat bis (Anal. pr. I, 31 p. 46 b 12, Anal. post. I, 6 p. 74 b 13), non invenitur in ceteris libris Topicorum.

c) ὁ εἶπας.

Idem significat in libro quinto ὁ εἶπας atque ὁ δεῖς (δέμενος). Quod exstat V, 2 p. 129 b 26 p. 130 b 8. 20. 29. 35. c. 3 p. 131 a 4. 17 b 17 p. 132 a 1. 15 c. 4 p. 132 b 31 p. 133 a 3 c. 5 p. 134 a 8 p. 135 a 12. 28. c. 9 p. 138 b 30. Saepius legitur participium εἰπῶν quam εἶπας apud Aristotelem, veluti Top. VI, 5 p. 142 b 34 c. 11 p. 149 a 10 VIII, 1 p. 156 a 15 c. 2 p. 157 a 35. Quibus locis nullus exhibet codex εἶπας. Sed omnino dubium est, an εἶπας in ceteris libris Topicorum legendum sit, cum omnibus locis, quibus exstat εἶπας, nonnulli codices exhibeant εἰπῶν:

II, 2 p. 109 b 8 ὁ οὖν κεχρωσμένον εἶπας τὸ λαικόν : εἰπῶν CPf corr. Acu.

IV, 6 p. 128 a 25 ὁ γὰρ ζῶον εἶπας τὸν ἄνθρωπον : εἰπῶν Cef corr. u.

v. 28 ὁ μὲν γὰρ εἶπας πεζόν : εἰπῶν. Pef corr. Cu.

v. 29 ὁ δὲ ζῶον εἶπας : εἰπῶν Pfc corr. Cu.

VI, 5 p. 143 a 26. 27 εἶπας : εἰπῶν P.

VI, 3 p. 141 a 18 εἶπας : εἰπῶν Pfu.

In libro quinto, ubi invenitur εἶπας, nullus praebet codex εἰπῶν.

d) λογικός.

Quae vox aliam habet vim in quinto libro atque in ceteris libris. V, 1 p. 129 a 17 legimus τῶν δ' ἰδίων ἐστὶ λογικὰ μάλιστα καὶ τε καὶ αὐτὰ καὶ αἰεὶ καὶ τὰ πρὸς ἕτερον. Quid sit λογικὰ μάλιστα demonstratur v. 30 sqq.: λογικὸν δὲ τοῦτ' ἐστὶ πρόβλημα πρὸς ὃ λόγοι γίνονται ἂν καὶ συγχοὶ καὶ καλοὶ, i. e. illud problema logicum est, quod si tractatur argumentationes fiunt multae et scitae. Quem usum illius verbi alienum esse a ceterorum locorum λογικός exhibentium ut demonstramus, breviter nobis agendum est de potestate

¹⁾ VI, 1 p. 139 a 28 (δεῖ γὰρ τὸν ὀριζόμενον εἰς τὸ γένος ζέντα τὰς διαφορὰς ἀσάπτειν) et V, 5 p. 134 b 5. 25 (ὁ προσθεῖς) haec vox non habet vim termini technici.

vocabulorum λογικός et διαλεκτικός. Apud Aristotelem vox διαλεκτικός ambigua est. Altera notione Aristoteles artem dialecticam significat solam, de qua libris agit Topicorum. Hanc vocabuli potestatem definit I, 1 p. 100 a 29, cum dicit διαλεκτικός δὲ συλλογισμὸς ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιστέμενος, i. e. dialectica ea est conclusio, quam conficimus e sententiis probabilibus, (non e veris et primis, quibus fit ἀπέδειξις sive demonstratio, quam nos 'apodiktischer Beweis' appellamus). Hanc vocis διαλεκτικός notionem vocemus artiolem. Altera notione Aristoteles significat artem logicam, quam vocant, universam et quam libris Organi tractat. Hanc notionem appellemus latiorelem. Vox autem λογικός semper eandem vim habet, quam latior notio vocis διαλεκτικός; nunquam λογικός idem est atque notio artior vocis dialectici nisi in libro quinto, nunquam eandem vim habet quam ἀναλυτικός. Quod probare conemur. V, 1 id est problema logicum, de quo disputetur secundum leges artis dialecticae Topicis tractatae. Comparativus igitur significat 'aptius ad disputandum'. Aristoteles tria genera problematum esse dicit (cf. I, 14 p. 105 b 19 ἔστι ὡς τύπων περιλαβεῖν τῶν προτάσεων καὶ τῶν προβλημάτων μέρη τρία· αἱ μὲν γὰρ ἡθικαὶ προτάσεις εἰσὶ αἱ δὲ φυσικαί, αἱ δὲ λογικαί). Secundum hanc rationem problema est λογικώτερον, quod magis legibus artis logicae quam rationibus artis physicae et ethicae propriis tractatur. Inde apparet comparativum quoque spectare ad notionem verbi διαλεκτικός latiorelem et longe aliud significare atque aptius ad disputandum. (Sed dicit quispiam a commentatore quodam illam sententiam, qua quidam λογικά μάλιστα declaratur, additam esse. Sed ne hac quidem sententia deleta aliter potest intellegi vox λογικός, atque illa sententia ostenditur.) Sed ceteros locos percenseamus Aristotelicos, quibus exstat λογικός. Primos afferamus Topicorum I, 14 p. 105 b 19, quos supra commemoravimus. Ubi logica problemata opponuntur physicae et ethicae. Hunc usum ad notionem spectare latiorelem (i. e. ad universam artem logicam) in promptu est. (Quod nisi ita sese haberent, analytica problemata essent seclusa, idquod fieri nequit e ratione loci ratione.)

Alterius loci Topicorum aliquam habet difficultatem interpretationis. Legimus enim VIII, 12 p. 162 b 27 εἰ μὲν γὰρ ἐκ ψευδῶν ἐνδόξων δέ, λογικός, εἰ δ' ἐξ ὄντων μὲν ἀδόξων δέ, φάσκει. Quo loco spectare λογικός ad notionem vocis διαλεκτικός artiolem existimamus.

1) cf. Waitz. p. 353 ad 82 b 35; Maier. II a p. 11 adn. 3.

potest, cum hoc libro usus ipse artis dialecticae tractetur. Hoc non ita esse apparebit ex his. Aristoteles VIII, 12 p. 162 b 11 de eis argumentationibus, quibus verum e falsis concluditur, quae vocatur deductio ad absurdum, agit. Ubi dicit τὸ μὲν ψεῦδος ἀεὶ διὰ ψευδῶν περαίνεται, τὸ δ' ἀληθὲς ἐγγωρεῖ καὶ μὴ ἐξ ἀληθῶν, ὥσπερ εἴρηται πρότερον. Quod referendum est ad Anal. pr. II, 2 p. 53 b 7 (ἐξ ἀληθῶν μὲν οὖν οὐκ ἔστι ψεῦδος συλλογισσάσαι, ἐκ ψευδῶν δ' ἔστιν ἀληθές, πλὴν οὐ διότι ἀλλ' ὅτι etc.). Inde apparet deductionem ad absurdum non solum artis dialecticae, sed etiam analyticae esse rationem. Sed maximi momenti est ad hanc quaestionem disceptandam, quod exstat VIII, 2 p. 157 b 34 (ὅταν δ' ἐνδέχεται τὸ ἄνευ τοῦ ἀδυνάτου καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου συλλογισσάσαι, ἀποδεικνύντι μὲν καὶ μὴ διαλεγόμενῳ οὐδὲν διαφέρει οὕτως ἢ ἐκείνῳ συλλογισσάσαι, διαλεγόμενῳ δὲ πρὸς ἄλλον οὐ χρηστέον τῷ διὰ τοῦ ἀδυνάτου συλλογισμῷ. ἄνευ μὲν γὰρ τοῦ ἀδυνάτου οὐκ ἔστιν ἀμφισβητεῖν. Apertissime Aristoteles hic adhiberi vetat deductionem ad absurdum in disputationibus. Quod non faceret, si VIII, 12 in animo haberet artem dialecticam solam, de qua agit Topicis. Praeterea VIII, 12 opponitur conclusioni logicae συλλογισμὸς φάσκει. Sed conclusio prava, quae facta est e rebus veris, non probabilibus, opponi nequit conclusioni secundum leges Topicorum confectae. Talis enim conclusio nequit confici in disputatione. In qua nemo potest uti propositionibus non probabilibus, cum nisi eis, quae probavit alter, omnino nequeat concludi. Itaque hac quoque re apertum fit φάσκει oppositum esse notioni verbi διαλεκτικός latiori, cuius potestatem hoc quoque loco habet λογικός.

Deinde eos afferamus locos, quibus λογικός opponitur notionibus φυσικός et ἡθικός.

Phys. III, 5 p. 204 b 4 λογικῶς μὲν οὖν σκοπούμενοις ἐκ τοιῶνδε εἴδειν ἂν οὐκ εἶναι. v. 10 φυσικῶς δὲ μᾶλλον θεωροῦσιν ἐκ τῶνδε.

De gener. et corr. I, 2 p. 316 a 10. 11 ἴδοι δ' ἂν τις καὶ ἐκ τούτων ὅσον διαφέρουσιν οἱ φυσικῶς καὶ λογικῶς σκοποῦντες.

Phys. VIII, 8 p. 264 a 8 οἷς μὲν οὖν ἂν τις ὡς οἰκείοις πιστεύσειε λόγοις, οὗτοι καὶ τοιοῦτοί τινές εἰσι, λογικῶς δ' ἐπισκοποῦσι etc. Opponuntur λόγοι οἰκείοι (rationes singularum artium propriae) notioni λογικῶς.

Metaph. XI, 1 p. 1069 a 27. 28 τὰ μὲν γὰρ γένη κατ' ὅλου, ἃ φασὶν ἄλλοι καὶ οὐσίας εἶναι μᾶλλον διὰ τὸ λογικῶς ζητεῖν.

De an. II, 8 p. 747 b 28 λέγω λογικὴν δὲ τούτο, ὅτι ἕσθ' κατ' ὅλου

μᾶλλον πορρωτέρω τῶν οἰκείων ἐστὶν ἀρχῶν. Omnibus his locis id valet, quod exposuimus p. 34 (Top. I, 14).

Tum opponitur λογικός demonstrationi (ἀπόδειξις), quae libris Analyticorum tractatur.

Anal. post. II, 8 p. 93 a 14. 15 οὗτος μὲν δὲ τρόπος ὅτι οὐκ ἂν εἴη ἀπόδειξις, εἴρηται πρότερον· ἀλλ' ἐστὶ λογικὸς συλλογισμὸς τοῦ τί ἐστίν. λογικός non idem est atque διαλεκτικός συλλογισμός, cum ea conclusio, quae enegatur demonstratio esse, petitione principii effecta sit. Quam in disputando adhibere non licet.

Anal. post. I, 22 p. 84 a 7 λογικῶς μὲν οὖν ἐκ τούτων ἂν τις πιστεύσειε περὶ τοῦ λεχθέντος, ἀναλυτικῶς δὲ διὰ τῶνδε φανερόν συντετακτότερον. Hic λογικῶς non ad rationes disputandi sed ad ratiocinationes universales, ut ita dicam, spectat, quae neque arti analyticæ neque arti vindicantur disputandi.

Deinde rhetoricae opponuntur demonstrationes (ἐνδυσήματα) logicis.

Rhet. I, 1 p. 1355 a 12 προσλαβὼν ποῖά τ' ἐστὶ τὰ ἐνδυσήματα καὶ τίνας ἔχει διαφορὰς πρὸς τοὺς λογικοὺς συλλογισμοὺς. Aristotelem non intellegere hoc loco significationem artiore vocis dialectici inde apparet, quod dicit v. 8 τὸ δ' ἐνδύμημα συλλογισμὸς τις. περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος τῆς διαλεκτικῆς ἐστὶν ἰδεῖν, ἢ αὐτῆς ὅλης ἢ μέρους τινός. Quod dicit διαλεκτικῆς, universam artem logicam in animo habet, cum addat ἢ αὐτῆς ὅλης ἢ μέρους. Tota ars dialectica complectitur utramque speciem, et artem analyticam et disputandi. Itaque λογικός ad latiore spectat potestatem vocis διαλεκτικῆς. Eandem i. e. latiorem habet vim vox λογικός locis huius.

Metaph. III, 3 p. 1005 b 20 καὶ ὅσα ἄλλα προσδιωρισάμεθα ἔστι προσδιωρισμένα πρὸς τὰς λογικὰς δυσχερείας.

ib. XIII, 1 p. 1087 b 18 διαφέρει δὲ τούτων οὐδὲν ὡς εἰπεῖν περὶ ἕνα τῶν συμβαινόντων, ἀλλὰ πρὸς τὰς λογικὰς μόνον δυσχερείας.

Eth. Eudem. II, 3 p. 1221 b 7 πρὸς τὰς συκοφαντίας τῶν τεχνῶν τὰς λογικὰς.

Phys. III, 3 p. 202 a 21 ἔχει δ' ἀπορίαν λογικὴν. (Quod Waitz recte explicat p. 354 'dubitatio, quae non e rerum singularium [physicarum] contemplatione sed e ratiocinatione sola orta est.)

Anal. post. I, 24 p. 86 a 22 ἀλλὰ τῶν μὲν εἰρημένων ἕνα λογικὸν ἐστίν, i. e. nonnulla eorum universalis, ut ita dicam, sunt ratiocinationis.

Metaph. XII, 5 p. 1080 a 9 ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν ἰδεῶν καὶ τούτων

τὸν τρόπον καὶ διὰ λογικωτέρων καὶ ἀκριβεστέρων λόγων ἔστι πολλὰ συνάγειν ὅμοια τοῖς τεθεωρημένοις.

Eth. Eudem. I, 7 p. 1217 b 16 ἔστι μὲν οὖν τὸ διασκοπεῖν περὶ ταύτης τῆς δόξης ἑτέρας διατριβῆς καὶ πολλὰ λογικωτέρας.

Eth. Nicom. II, 7 p. 1108 b 9 ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν λογικῶν ἀρετῶν (cf. ib. VI).

Anal. post. I, 32 p. 88 a 18 τὰς δ' αὐτὰς ἀρχὰς ἀπάντων εἶναι τῶν συλλογισμῶν ἀδύνατον, πρῶτον μὲν λογικῶς θεωροῦσιν. Cui opponitur v. 30 ἐκ δὲ τῶν κειμένων.

Metaph. VI, 4 p. 1029 b 12 καὶ πρῶτον εἴπωμεν ἕνα περὶ αὐτοῦ λογικῶς.

ib. c. 17 p. 1041 a 28 τοῦτο δ' ἔστι τὸ τί ἦν εἶναι ὡς εἰπεῖν λογικῶς.

Eth. Eudem. I, 8 p. 1217 b 21 λογικῶς καὶ κενῶς. Comparativus vocis λογικός exstat his locis:

Metaph. XII, 5 p. 1080 a 9. Ubi intellegendum est quaerentibus magis esse proficiscendum a rationibus logicis iisque accuratioribus.¹⁾ Similiter

Eth. Eudem. I, 8 p. 1217 b 16. De caelo I, 7 p. 275 b 12 λογικώτερον δ' ἔστιν ἐπιχειρεῖν καὶ ὧδε.

Inde apparet ne comparativum quidem simile quid significare atque μάλιστα λογικά in libro quinto. Satis mihi videtur demonstratum esse vocem λογικός apud Aristotelem semper id esse, quod notio vocis διαλεκτικῆς amplior, nunquam quod artior, nunquam quod aptum ad usum disputandi.

e) ἔπειτα.

Omnes fere loci libri quinti inter se coniunguntur voce ἔπειτα. Hanc quamquam adhibet Aristoteles aliis quoque locis in rebus numerandis, tamen in nullo libro Aristotelico tam saepe invenimus quam in quinto Topicorum. In illis etsi aliae coniunctiones saepius iterantur, nunquam per totum librum coniunguntur omnes loci eadem voce. Accedit, quod neque in ceteris libris Topicorum neque Organi loci omnino coniunguntur voce ἔπειτα, sed aliis verbis, veluti

¹⁾ Quod Bonitzius (Ind. Arist. p. 432 a 59) recte explicat, cum dicit ex huiusmodi rationibus, quae accuratius ex ipso λόγω, e notione idearum petita sint.

ἄλλος (τέπος) saepissime

ἔτι ”

ἐπεὶ ”

δὲ ”

σκοπεῖν δὲ . . . , σκοπετέον, ὁρᾶν saepissime,

ἤ (ut II, 7 p. 113 a 24 IV, 5 p. 126 b 7)

ὁμοίως (ut II, 8 p. 114 a 7. 13)

καὶ (ut III, 1 p. 116 b 1. 8 IV, 2 p. 122 b 18)

εἶν δὲ (ut IV, 4 p. 124 b 15)

ἐνίοτε (ut IV, 5 p. 125 b 28 VI, 12 p. 149 b 24)

ἴσως (ut VI, 6 p. 143 b 33)

ὅταν δὲ (ut IX, 17 p. 176 b 8),

nunquam voce ἔπειτα. Quae invenitur in libro quinto:

c. 2 p. 129 b 30 p. 130 a 15. 29 b 11. 23

c. 3 p. 130 b 38 p. 131 a 27 b 5. 19. 37 p. 132 a 10

c. 4 p. 132 b 8. 19. 35 p. 133 a 12. 24. 35

c. 5 p. 134 a 5 p. 135 a 9. 20

c. 6 p. 135 b 7 p. 136 a 5 b 3

c. 7 p. 136 b 15. 33 p. 137 a 8. 21 b 3

c. 8 p. 137 b 14 p. 138 a 30

c. 9 p. 138 b 27 p. 139 a 9.

Ceteris locis, qui inter se coniuncti sunt non illa voce, plerumque ipsis rebus alia posebatur ratio. Coniunctiones aliae exstant paucae. (Non invenitur ἔπειτα in capite primo, quoniam in eo loci non afferuntur. V, 3 p. 131 a 12 legimus τὸν αὐτὸν δὲ πρότερον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων σκοπετέον ἐστὶ etc. Qui locus pertinet ad eum, qui praecedit. Utroque enim postulatur, ut notius sit proprium. V, 4 p. 132 a 27 πρῶτον μὲν οὖν . . . , ubi altera pars libri quae incipit; V, 4 p. 133 b 15 ἐπεὶ δὲ τὸ ταῦτον καὶ τὸ ἕτερον Sic locus arte cohaeret cum eo, qui praecedit. V, 5 p. 134 a 18 τὰ ἴσα λέγεται, V, 6 p. 135 b 17. 26 p. 136 a 14. 19, V, 8 p. 138 a 4 b 6: δεύτερον, τρίτον etc., quorum quisque pars est alterius libri. V, 8 p. 137 b 28 καὶ ἐκ τοῦ ἀπλῶς δὲ πρὸς ταῦτὰ σκοπετέον.) In nonnullorum Aristotelis librorum oratio non est perpolitata, tamen nullus exstat locus, quo fere omnes quaestionis partes eadem voce coniungantur.

§ 8.

De schemate locorum et de verbositate.

Cum Aristoteles ceteros ita proferat locos, ut aptum ei videtur esse ad demonstrandas artis dialecticae leges, is, qui librum conscripsit quintum, certam, ut ita dicam, orationis figuram quasi pro fundamento ponit singulorum locorum. Quod non esse casui tribuendum inde apparet, quod semper eadem verba eademque sententiae accuratissime iterantur. Figura est haec:

Ἐπειτ' ἀνασκευάζοντα εἰ οὐ γὰρ ἔσται

καλῶς { ἀποδεδόμενον } τὸ ἴδιον.
 { κείμενον }
 { εἰρημένον }

οἷον ἐπεὶ sequitur exemplum οὐκ ἂν εἴη καλῶς κείμενον τὸ τοῦ ἴδιον. Hoc loco saepius iteratur ea lex, de qua agitur. κατασκευάζοντα δὲ εἰ μὴ id omisum est, quod praescriptum est eis, quae praecedunt (haec iterantur verbotenus), ἔσται καλῶς κατὰ τοῦτο κείμενον τὸ ἴδιον. οἷον ἐπεὶ sequitur exemplum εἴη ἂν καλῶς κατὰ τοῦτο κείμενον τοῦ ἴδιον.

Quae figura omnibus fere locis capitis secundi et tertii exstat, quibus quaeritur, utrum proprium recte sit explicatum neene. Sequuntur eae leges, quae sunt observandae ut id, quod positum est, omnino sit proprium. Itaque figura paulum mutatur. Legimus enim

οὐ γὰρ ἔσται ἴδιον τὸ κείμενον ἴδιον εἶναι pro οὐ γὰρ ἔσται καλῶς κείμενον τὸ ἴδιον,

ἔσται γὰρ ἴδιον τὸ κείμενον μὴ εἶναι ἴδιον pro ἔσται καλῶς κατὰ τοῦτο κείμενον τὸ ἴδιον.

Cetera verba figurae retinentur. Quo genere explicandi fit, ut nimis haereat oratio: molestissime ea repetuntur, quae dicta sunt; multis ea exponuntur verbis, quae stultissimus quisque, ut ita dicam, facillime intellegat, cum in ceteris libris Topicorum brevissimus sit Aristoteles. In his, quamquam Aristoteles saepius eadem utitur voce — quod ut faciat, plerumque ipsis adducitur rebus —, molestissima illa figura orationis non invenitur aut eius similis.

Praeter illam figuram aliis quoque locis ingens exstat verbositas. Quae quanta sit, optime intellegitur comparatis libri quinti locis cum similibus e ceteris libris Topicorum sumptis, quibus

fere eadem tractantur res. Ubertatem ut illustremus, nonnullos locos afferamus.

V, 2 p. 129 b 1 πρῶτον μὲν εἰ μὴ καλῶς ἀποδέδοται τὸ ἴδιον ἢ καλῶς. τοῦ δὲ μὴ καλῶς ἢ καλῶς ἐστὶν ἔν μὲν, εἰ μὴ διὰ γνωριμωτέρων ἢ γνωριμωτέρων κεῖται τὸ ἴδιον, ἀνασκευάζοντα μὲν εἰ μὴ διὰ γνωριμωτέρων κατασκευάζοντα εἰ διὰ γνωριμωτέρων τοῦ δὲ μὴ διὰ γνωριμωτέρων ἐστὶ τὸ μὲν, v. 8 διὰ γνωριμωτέρων οὖν ἀποδέτεον, v. 13 τὸ δ', εἰ μὴ γνωριμωτέρον ἐστὶ τέδε τῷ δ' ὑπάρχον, δεῖ γὰρ μὴ μόνον εἶναι γνωριμώτερον τοῦ πράγματος, ἀλλὰ καὶ ὅτι τῷ δ' ὑπάρχον γνωριμώτερον ὑπάρχειν, v. 21 κατασκευάζοντα εἰ διὰ γνωριμωτέρων κεῖται τὸ ἴδιον, καὶ εἰ διὰ γνωριμωτέρων κατ' ἐκάτερον τῶν τρόπων, v. 27 διὰ γνωριμωτέρων καὶ γνωριμώτερον ἀπέδωκε τὸ ἴδιον κατ' ἐκάτερον τῶν τρόπων. Cuius similis exstat locus VI, 4 p. 141 a 25, quo eadem tractantur. Ubi quamquam nonnullae voces iterantur, paucis verbis plura dicuntur.

V, 2 p. 129 b 35 sine ulla causa ea, quae praescripta sunt v. 30 (εἴ τι τῶν ὀνομάτων τῶν ἐν τῷ ἴδιῳ ἀποδεδομένων πλεοναχῶς λέγεται ἢ καὶ ἕλος ὁ λόγος πλείω σημαίνει), iterantur: διὰ τοῦτο δ' οὐ χρηστέον ἐστὶ οὐτ' ὀνόματι πλεοναχῶς λεγομένῳ οὔτε λόγῳ τῷ τὸ ἴδιον σημαίνοντι. Praeterea non omittendum esse censeo, quod vox ἴδιον — licet ad eam totus liber referendus sit — tam saepe repetitur quam neque συμβεβηγῆς neque γένος neque ὅρος in ceteris libris. Eis quoque locis iteratur, quibus quin ἴδιον sit intellegendum, dubium non est. Cuius observationis firmandae causa liceat nobis eligere locum, qui est V, 3 p. 131 b 5—18. In his paucis versibus ἴδιον ter decem legitur, sed haud scio an aliis locis iteretur saepius. Hac quoque re demonstratur, quam sit incommoda oratio libri quinti.

Tum verbosissimus invenitur locus in capite quinto (p. 134 a 26 sqq.). Initio enim loci scriptum est saepissime peccari in proponendis, ita ut non explicetur, quomodo et cuius rei proprium sit positum (παρὰ τὸ μὴ διορίζεσθαι πῶς καὶ τίνων τίδησι τὸ ἴδιον). Deinde v. 28—b4 exponitur, quibus notionibus non additis fieri nequeat, quin vitiosa sit sententia, (addendum esse proprium vel inesse aut specie aut simpliciter aut per aliud etc.). Quae omnia v. 5 denuo afferuntur, nihil additur novi nisi, quibus de causis non sint omittenda illa additamenta.

Non minore loquacitate in capite sexto disputatur de usu notionum, quae sunt oppositae rei. Cuius similibus locis Aristoteles paucis verbis dicit, quid velit, veluti

I, 15 p. 106 a 36 ἔτι εἰ τῷ μὲν ἐστὶ τι ἐναντίον, τῷ δ' ἀπλῶς μηδέν,

II, 4 p. 111 a 14 πρὸς δὲ τὸ δεῖξαι τὰ ἐναντία τῷ αὐτῷ ὑπάρχοντα σκοπεῖν,

III, 6 p. 119 a 36 μάλιστα δ' ἐπίκαιροι καὶ κοινοὶ τῶν τόπων οἱ δ' ἐκ τῶν ἀντικειμένων,

IV, 3 p. 123 b 1 ἔτι ἂν ἢ ἐναντίον τι τῷ εἶδει, σκοπεῖν,

VI, 9 p. 147 a 29 ὄραν δὲ καὶ εἰ τοῦ ἀντικειμένου ὁ ἀντικείμενος λόγος. Contra legimus V, 6 p. 135 b 7 ἔπειτ' ἐκ τῶν ἀντικειμένων σκοπεῖται ἐστὶ πρῶτον μὲν ἐκ τῶν ἐναντίων ἀνασκευάζοντα μὲν εἰ τοῦ ἐναντίου μὴ ἐστὶ τὸ ἐναντίον ἴδιον· οὐδὲ γὰρ τοῦ ἐναντίου ἐστὶ τὸ ἐναντίον ἴδιον. v. 12 κατασκευάζοντα δὲ εἰ τοῦ ἐναντίου τὸ ἐναντίον ἴδιον ἐστὶ· καὶ γὰρ τοῦ ἐναντίου τὸ ἐναντίον ἴδιον ἐστὶ.

Similiter eae notiones tractantur, quae ad aliud referuntur (V, 6 p. 135 b 17 δεύτερον δ' ἐκ τῶν πρὸς τι ἀνασκευάζοντα μὲν εἰ τὸ πρὸς τι τοῦ πρὸς τι μὴ ἐστὶν ἴδιον. οὐδὲ τὸ πρὸς τι τοῦ πρὸς τι ἐστὶν ἴδιον, (quod sine voce μὴ iteratur v. 22 verbotenus), quae secundum habitum dicuntur, quae sunt de affirmationibus et de negationibus (p. 135 b 27 p. 136 a 5). Hic locus in tres partes dividitur. In secunda haec exstat sententia (p. 136 a 14): δεύτερον δ' ἐκ τῶν κατηγορουμένων ἢ μὴ κατηγορουμένων καὶ ἐξ ὧν κατηγορεῖται ἢ μὴ κατηγορεῖται, ἀνασκευάζοντα μὲν εἰ ἢ φάσις τῆς φάσεως μὴ ἐστὶν ἴδιον· οὐδὲ γὰρ ἢ ἀπόφασις τῆς ἀποφάσεως ἐστὶν ἴδιον. καὶ εἰ δ' ἢ ἀπόφασις τῆς ἀποφάσεως μὴ ἐστὶν ἴδιον, οὐδ' ἢ φάσις τῆς φάσεως ἐστὶν ἴδιον et v. 22 κατασκευάζοντα δ' εἰ τῆς φάσεως ἢ φάσις ἐστὶν ἴδιον· καὶ γὰρ τῆς ἀποφάσεως ἢ ἀπόφασις ἐστὶν ἴδιον. καὶ εἰ δὲ τῆς ἀποφάσεως ἢ ἀπόφασις ἐστὶν ἴδιον, καὶ ἢ φάσις τῆς φάσεως ἐστὶν ἴδιον. Eadem Aristoteles perpauca explicat verbis, veluti

IV, 4 p. 124 b 7 πάλιν ἐπὶ τῶν ἀποφάσεων σκοπεῖν ἀνάπαλιν. Pro tanta copia verborum apud Aristotelem verbum legimus unum, scil. ἀνάπαλιν.

Non minus verbose in capite septimo agitur de casibus adhibendis, ut p. 136 b 15 ἔπειτ' ἐκ τῶν πτώσεων, ἀνασκευάζοντα μὲν εἰ ἢ πτώσις τῆς πτώσεως μὴ ἐστὶν ἴδιον· οὐδὲ γὰρ ἢ πτώσις τῆς πτώσεως ἐστὶν ἴδιον. v. 18 κατασκευάζοντα δ' εἰ ἢ πτώσις τῆς πτώσεως ἐστὶν ἴδιον· καὶ γὰρ ἢ πτώσις τῆς πτώσεως ἐστὶν ἴδιον. Obscuratur hac ubertate vis legum. Loci, qui sunt de casibus, in omnibus fere libris exstant. Quibus brevissimus est Aristoteles. Veluti

I, 15 p. 106 b 29 ἔτι ἐπὶ τῶν πτώσεων ἐπισκοπεῖται,

II, 9 p. 114 a 26 πάλιν ἐπὶ τῶν συστοίχων καὶ ἐπὶ τῶν πτώσεων,

III, 3 p. 118 a 34 ἔτι ἀπὸ τῶν πτώσεων καὶ χρήσεων,
III, 6 p. 119 a 36 μάλιστα ἐπίκαιροι καὶ κοινοὶ τῶν τόπων οἱ
ἐκ..... τῶν συστοίχων καὶ πτώσεων,

IV, 3 p. 124 a 10 πάλιν ἐπὶ τῶν πτώσεων καὶ ἐπὶ τῶν συστοίχων,
εἰ ὁμοίως ἀκολουθοῦσιν,

VI, 10 p. 148 a 10 ἔτι εἰ τῶν ὁμοίων τοῦ ὀνόματος πτώσεων καὶ
ὁμοιαι τοῦ λόγου πτώσεις ἐφαρμόττουσιν,

VII, 1 p. 151 b 30 σκοπεῖν ἐκ τε τῶν πτώσεων καὶ.....

Omnia, quae in libro quinto exponuntur permultis verbis, ve-
luti in quarto demonstrantur verbis εἰ ὁμοίως ἀκολουθοῦσιν.

Eodem modo V, 7 p. 136 b 33 agitur de rebus similiter sese
habentibus: ἔπειτ' ἐκ τῶν ὁμοίως ἐχόντων, ἀνασκευάζοντα μὲν εἰ τὸ
ὁμοίως ἔχον τοῦ ὁμοίως ἔχοντος μὴ ἔστιν ἴδιον. οὐδὲ γὰρ τοῦ ὁμοίως
ἔχοντος τὸ ὁμοίως ἔχον ἔσται ἴδιον. p. 137 a 1 κατασκευάζοντα δὲ...
(omnia repetuntur sine negatione). Contra legimus veluti IV, 4
p. 124 a 15 πάλιν ἐκ τῶν ὁμοίων, εἰ ὁμοίως ἔχει.

II, 10 p. 114 b 25 idem,

VII, 1 p. 151 b 36 πάλιν ἐκ τῶν... καὶ ὅπως τῶν ὁμοίως ἐχόντων.

Denique locum afferamus capituli octavi. Ubi legimus p. 137 b
14 ἔπειτ' ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἥττον, πρῶτον μὲν ἀνασκευάζοντα εἰ τὸ
μᾶλλον τοῦ μᾶλλον μὴ ἔστιν ἴδιον· οὐδὲ γὰρ τὸ ἥττον τοῦ ἥττον ἔσται
ἴδιον, οὐδὲ τὸ ἥμιστα τοῦ ἥμιστα, οὐδὲ τὸ μάλιστα τοῦ μάλιστα, οὐδὲ
τὸ ἀπλῶς τοῦ ἀπλῶς. v. 20 haec repetuntur sine negatione. Sed
ne hoc quidem satis est. Tota explicatio iteratur et v. 28 et v. 33
et similiter p. 138 a 4. 8. 13. Multo brevius Aristoteles dicit II, 10
p. 114 b 37 ἔτι ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἥττον. (Hic cum illa notio affe-
ratur primum, quid sit, Aristoteles demonstrat exemplis. Sed cum
p. 115 a 3 utitur notione ἐπίδοσις, ratio multo facilius intellegitur
quam in libro quinto.)

Non omittendum est in hoc libro pro tanta verbositate
unam quidem afferri rationem, quae non inveniatur in ceteris libris.
In his vel plures afferuntur rationes singulorum locorum proprie
eique in complures partes tractantur saepissime.

His rebus liber quintus differt a ceteris. Quas differentias
non esse exiguas in promptu est. Auctor libri quinti Aristoteles
rationem secutus est, sed illi par non erat. Etenim locis ab
receptis usus est auctor quasi fixis formulis legumque vi plerumque
que non satis perspecta Aristotelis adhibet praecepta sine
discrimine. Quae cum ita sint, in tres incidit errores. Ac primum
quidem saepius non intellegit, quid valeant leges, quas ipse sta-

tuerit, cum eas neglegat in exemplis. Deinde fere omnes locos
adhibet et confirmandi et refellendi rationibus, cum non intellexerit
non omnibus legibus eandem tribuendam esse vim. Denique eis
ornavit locos exemplis, quae pari modo sunt accommodata ceteris
locis. Praeterea orationem vidimus abhorrere a ceterorum librorum
neque totius libri neque singulorum locorum probandam esse dis-
positionem ex Aristotelis ratione. Quae cum ita sint, non ab
Aristotele hunc librum conscriptum esse arbitramur.

§ 9.

De origine libri quinti.

Restat, ut quaeramus, quis composuerit librum quintum et
quemadmodum venerit in corpus Aristotelicum. Quam ad rem
aggrederemur, si res vere novae invenirentur in hoc libro, quae
tantopere abhorrerent ab Aristotelis arte logica et dialectica, ut
concludere possemus auctorem ab alio quodam philosopho pro-
fectum esse. Inde computarem, qua aetate ille liber conscriptus
esset. Sed hoc fieri nequit, cum non exstent res novae. Vidimus
auctorem ita imitari Aristotelis rationem, ut saepius quasi vim
inferat rebus. Quae cum ita sint, nihil potest concludi, nisi forte
illum fuisse philosophum peripateticum. Argumentis vero ne hoc
quidem firmari potest. Neque vero intellegimus, qua de causa Ari-
stoteles non ipse egerit de proprio, cum cetera problematum genera
Topicis pertractaverit. Ut ipsum proprium omitteret, fieri non
potuit. Quod definit in primo libro eodem modo quo cetera ge-
nera. (I, 4 p. 101 b 17 πᾶσα δὲ πρότασις καὶ πᾶν πρόβλημα ἢ γένος
ἢ ἴδιον ἢ συμβεβηκὸς δηλοῖ. Deinde artiore constituit potestatem
proprii, cf. v. 19 ἐπεὶ δὲ τοῦ ἴδιου τὸ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνει,
τὸ δ' οὐ σημαίνει, διηγήσῃ τὸ ἴδιον εἰς ἄμφω τὰ εἰρημμένα μέρη, καὶ
καλείσῃ τὸ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι σημαῖνον ὅρος, τὸ δὲ λοιπὸν κατὰ τὴν
κοινὴν περὶ αὐτῶν ἀποδοδεῖσαν ὀνομασίαν προσαγορευέσῃ ἴδιον. De
quattuor generibus problematum accuratius agit I, 5 et quidem de
proprio p. 102 a 18—30. Deinde quaerit I, 6 p. 102 b 27, quibus
differat rebus definitio ab accidente, genere, proprio. Denique I, 8
p. 103 b 2 omnia problemata ad quattuor haec genera ostendit
referenda esse.) Singulis libris tractat genera singula. Non in-
tellegitur, cur non egerit de hoc uno genere, praesertim cum
videatur scholarum usui destinavisse Topica, quae fere prima eum

composuisse veteres quoque putant auctores¹⁾ et quae quin ipse conscripserit Aristoteles, dubium non est. Artis dialecticae leges magnopere spectant ad rationem definiendi. De definitione²⁾ vero Aristoteles agere non poterat proprio non tractato. Praeterea proprium locis commemoratur Topicorum his (nonnullos libri primi supra commemoravimus): I, 5 p. 102 b 21 (ubi accidens interdum proprium fieri legimus), p. 102 b 5 (accidens comparatur cum definitione, proprio, genere), I, 7 p. 103 a 28 (de eis rebus agitur, quae proprietate quadam eadem sunt), I, 15 p. 107 a 38, (quo loco voce proprii Aristoteles non utitur artis vocabulo, idquod apparet ex eis, quae dicit Alexander pag. 108, 29. 109),

I, 18 p. 108 b 4 (similiter),

II, 1 p. 109 a 13. 17 (proprium coniungitur cum ceteris problematum generibus, similiter II, 2 p. 109 b 9),

IV, 1 p. 120 b 13 (raro quaeritur de genere et de proprio),

IV, 6 p. 128 a 38 (proprium non nominatim commemoratur. Legimus enim τὸ παρσπόμενον τινι ἀεὶ καὶ μὴ ἀντιστρέφειν, i. e. quod, cum non reciprocetur, semper rei inest. Hoc est γενικόν, i. e. ad usum generis valet, non proprium, cum non reciprocetur),

VI, 1 p. 139 a 31 b 4 (definitionem legimus rei propriam esse v. 3 εἰ δὲ μὴ ἐν τῷ οἰκείῳ γένει ἔσθην, ἢ εἰ μὴ ἴδιος ἀποδοθεὶς λόγος ἐκ τῶν πρὸς τὸ γένος καὶ τὸ ἴδιον φηθέντων ἐπισκεπτέον. Ex his verbis apparet Aristotelem ipsum de proprio egisse sicut de genere),

VI, 3 p. 140 a 34 b 19 (coniungitur proprium cum definitione),

VI, 6 p. 143 a 31 (αἱ τοῦ πράγματος ἴδιαι διαφοραί. Haec est notio vocis proprii latior, quae fere eadem est atque notio οἰκείος.³⁾

VI, 10 p. 148 a 35 (μὴ ἴδιον ἀλλὰ κοινὸν ἀμφοῖν λόγον scil. ἀπὸ διδόναι, id quod spectat ad definitionem notionis plura significantis),

¹⁾ Veluti cf. Dionys. Hal., Ep. ad Am. c. 6 p. 729 R.

²⁾ In libro sexto Aristoteles usum generis et differentiae aliquatenus retractat (cf. c. 5 p. 142 b 22, c. 6 p. 143 a 29), cum proprium in censuram non vocet. Quod mirum est, quoniam hoc non minus respicit ad definitionem quam illae notiones. Sed ad compositionem libri quinti utrum hoc valeat diiudicare non possum.

³⁾ cf. VI, 6 p. 144 b 26 τὸ οἰκείον γένος.

VII, 5 p. 154 b 13 p. 155 a 23 (proprium facilius redarguitur quam confirmatur),

VII, 5 p. 155 a 8 (definitio non recte est posita, si non propria est rei, idquod non valet ad genus; sim. p. 155 a 14. 15. 20),

VII, 5 p. 154 b 16 (proprium plerumque ponitur ἐν συμπλοκῇ).

Ex his locis apparet Aristotelem ipsum in Topicis egisse de proprio. Statuimus haec: Aristoteles libro quodam quinto Topicorum proprium tractavit. Liber quintus, qui traditus est, non ab Aristotele compositus est. Itaque censendum est locum huius libri quinti Aristotelis aetate obtinuisse librum ab Aristotele ipso compositum.¹⁾ Verisimile est librum vere Aristotelicum aetatem non tulisse. Quod damnum resarcire conatus redactor quidam hunc librum quintum composuit, idquod non erat difficile rationem petenti dialecticam e ceteris Topicorum libris.²⁾

¹⁾ Alexander hoc libro quinto usus est.

²⁾ In Diogenis catalogo liber, qui est περὶ ἰδίων, commemoratur.

Index locorum.

- | | | | |
|--|---|--|---------------------------|
| Anal. pr. I, 31 p. 46 b 12 (33) | I, 14 p. 105b 19 (34) | IV, 2 p. 123 a 14 (11 ² . 25 ³) | V, 2 p. 130 a 15 (21. 38) |
| I, 34 p. 48 a 1 (9 ¹) | I, 15 p. 106 a 1 (21 ¹) | IV, 3 p. 123 a 27 (21 ¹) | 26 (14) |
| II, 2 p. 53 b 7 (35) | 36 (41) | 123 b 1 (41) | 27 (14) |
| Anal. post. I, 6 p. 74 b 13 (33) | 106 b 29 (41) | 124 a 10 (42) | 29 (10. 19) |
| I, 22 p. 84 a 7 (36) | 107 a 38 (44) | IV, 4 p. 124 a 15 (42) | 31 (23) |
| I, 24 p. 86 a 22 (36) | I, 18 p. 108 b 4 (44) | 124 b 7 (41) | 33 (25. 29) |
| I, 32 p. 88 a 18 (37) | II, 1 p. 109 a 13 (44) | 8 (23 ²) | 130 b 1 (31) |
| II, 8 p. 93 a 14 (36) | 17 (44) | 15 (38) | 5 (19) |
| Top. | II, 2 p. 109 b 8 (33) | IV, 5 p. 125 b 28 (38) | 7 (14) |
| I, 1 p. 100 a 18 (13 ⁴) | 9 (44) | 126 b 7 (38) | 8 (20. 33) |
| 20 (30 ¹) | 30 (22 ¹ . 23 ³) | IV, 6 p. 127 a 26 (18) | 9 (14) |
| 25 (29) | II, 3 p. 110 a 23 (21 ¹) | 128 a 25 (33) | 11 (38) |
| 27 (30 ¹) | II, 4 p. 111 a 14 (41) | 28. 29 (33) | 12 (27) |
| 29 (30 ¹ . 34) | 111 b 12 (23) | 38 (44) | 14 (23) |
| I, 2 p. 101 a 27 (5 ¹) | II, 6 p. 112 b 21 (28 ¹) | V, 1 p. 128 b 16 (7) | 15 (17. 32) |
| 34 (5 ¹) | II, 7 p. 113 a 24 (38) | 19 (26) | 20 (14. 21. 33) |
| I, 4 p. 101 b 17 (25. 43) | II, 8 p. 114 a 7 (38) | 20. 25 (26) | 21 (14) |
| 19 (43) | 13 (38) | 27 (32) | 23 (8. 25. 38) |
| 32 (13 ³) | II, 9 p. 114 a 26 (41) | 35 (20) | 25 (23) |
| I, 5 p. 102 a 2 (28 ³) | II, 10 p. 114 b 25 (42) | 37 (26) | 29 (31. 33) |
| 18 (7. 11 ⁴ . 12. 25 ⁴ . 26. 43) | 37 (42) | 129 a 4. 8 (26) | 34 (14) |
| 19 (26) | 115 a 3 (42) | 11 (26) | 35 (19. 33) |
| 20 (30) | III, 1 p. 116 b 1 (38) | 17 (33) | 36 (14) |
| 22 (7. 11) | 8 (38) | 30 (33) | V, 3 p. 130 b 38 (11. 38) |
| 26 (26) | III, 3 p. 118 a 34 (42) | 34 (12) | 131 a 4 (11. 18. 33) |
| 32 (25 ¹ . 28 ²) | 118 b 27 (21 ¹) | V, 2 p. 129 b 1 (8. 40) | 7 (14) |
| 102 b 5 (44) | III, 6 p. 119 a 36 (41. 42) | 2 (8. 10. 24) | 8 (19. 32) |
| 20 (12) | IV, 1 p. 120 b 13 (7 ¹ . 9 ⁵ . 23 ¹) ⁵ . 27. 41) | 7 (25) | 10 (14) |
| 21 (44) | 14 (10) | 8 (40) | 12 (24 ² . 38) |
| 22 (26) | 17 (23 ³) | 9 (32) | 17 (33) |
| I, 6 p. 102 b 27 (43) | IV, 2 p. 122 a 3 (11 ¹) | 10 (26. 31) | 18 (26. 31) |
| I, 7 p. 103 a 28 (44) | 30 (21) | 10 (26. 31) | 22 (14) |
| I, 8 p. 103 b 2 (43) | 122 b 7 (22 ¹) | 13 (40) | 23 (31. 32) |
| 10 (26) | 18 (38) | 14 (24) | 25 (14) |
| I, 10. 11 (13 ²) | 122 b 32 (21) | 18 (26. 32) | 27 (11. 38) |
| | | 21 (40) | 28 (11 ³) |
| | | 23 (14) | 35 (18. 26. 32) |
| | | 24 (14) | 131 b 1 (14. 26. 32) |
| | | 25 (15) | 3 (14) |
| | | 26 (26. 33) | 5 (7. 12. 38. 40) |
| | | 27 (40) | 7. 9 (8) |
| | | 28 (20) | 12 (26. 33) |
| | | 29 (14) | 16 (14) |
| | | 30 (8. 21. 38) | 17 (26. 33) |
| | | 35 (20. 35. 40) | 19 (8. 30. 38) |
| | | V, 2 p. 130 a 5 (29) | 25 (33) |
| | | 10. 13 (14) | |

V, 3 p. 131 b 32 (14)
 33 (33)
 34 (26)
 36 (14)
 37 (12. 38)
 132 a 1 (20. 33)
 6 (14. 32)
 7 (19)
 8 (14)
 10 (9³. 21. 25. 32. 38)
 11 (23. 26)
 12 (27)
 15 (33)
 17 (32)
 18 (14)
 19 (20. 32)
 21 (14)
 V. 4 p. 132 a 23 (8)
 24 (14. 15)
 27 (16. 38)
 31 (26)
 34 (6)
 132 b 1 (20)
 8 (38)
 10 (22)
 16 (21. 26)
 19 (38)
 21 (18)
 30 (15)
 31 (31. 33)
 35 (38)
 133 a 3 (33)
 4 (20)
 5 (13⁹)
 6 (16)
 8 (20. 26. 32)
 12 (12. 22. 38)
 13 (22²)
 16 (12. 26)
 18 (16)
 20 (20)
 24 (38)
 26 (26)
 30 (26)
 35 (22. 38)
 133 b 1 (22. 26)

V, 4 p. 133 b 7 (22)
 8 (20)
 15 (38)
 31 (13⁹)
 V, 5 p. 134 a 5 (30. 38)
 7 (32)
 8 (20. 30. 33)
 13 (32)
 14 (15. 20)
 16. 17 (15)
 18 (38)
 26. 28 (40)
 29 (20)
 30 (26)
 31 (26. 31)
 32 (20. 26)
 33 (26)
 34 (26)
 134 b 2 (20. 26)
 4 (20. 26. 40)
 5 (33¹. 4⁰)
 25 (33¹)
 32 (26. 31)
 135 a 9 (28. 38)
 12 (26. 28. 33)
 14 (16)
 17 (32)
 20 (38)
 28 (31. 33)
 33 (26. 32)
 V, 6 p. 135 b 7 (38. 41)
 10 (26. 31)
 14 (26)
 17 (22. 38. 41)
 19 (26)
 22 (41)
 26 (38)
 27 (41)
 32 (26)
 136 a 1 (26)
 5 (38. 41)
 6 (13⁹)
 14 (38. 41)
 19 (38)
 25 (20)
 26 (20. 26)

V, 6 p. 136 a 34 (36⁹)
 136 b 3 (38)
 V, 7 p. 136 b 15 (38. 41)
 17 (26)
 20 (20)
 27 (26)
 31 (26)
 33 (38. 42)
 36 (26)
 137 a 1 (42)
 8 (38)
 18 (13⁹)
 21 (38)
 35 (26)
 137 b 3 (38)
 6 (26)
 V, 8 p. 137 b 14 (38. 42)
 18 (26)
 20 (42)
 23 (20)
 24 (20. 26)
 28 (38. 42)
 33 (42)
 36 (26)
 138 a 4 (38. 42)
 6 (20. 26)
 7 (20)
 8 (42)
 10 (20)
 11 (20. 26)
 13 (42)
 15 (26)
 19 (13⁹)
 23 (26)
 27 (20. 26)
 28 (20. 26)
 30 (38)
 33 (26)
 138 b 6 (38)
 8 (26)
 18 (26)
 22 (13⁹)
 V, 9 p. 138 b 27 (38)
 30 (33)
 139 a 9 (31. 38)
 18 (15. 19. 32)

V, 9 p. 139 a 20 (15)
 VI, 1 p. 139 a 24 (9)
 25 (22¹)
 28 (9. 27. 33¹)
 31 (9⁴. 44)
 34 (9. 10)
 139 b 4 (44)
 6 (10)
 8 (15)
 VI, 2 p. 139 b 19 (21¹)
 23 (21³)
 30 (29¹)
 VI, 3 p. 140 a 24 (18. 25⁵)
 34 (44)
 140 b 19 (44)
 27 (10)
 141 a 18 (33)
 VI, 4 p. 141 a 25 (40)
 26 (10. 24)
 32 (24⁴)
 34 (23⁴)
 35 (9²)
 141 b 5 (25)
 142 a 34 (11)
 VI, 5 p. 142 b 22 (27. 44¹)
 30 (21¹)
 34 (33)
 35 (25⁶)
 143 a 26 (33)
 27 (33)
 VI, 6 p. 143 a 29 (44¹)
 31 (44)
 143 b 33 (38)
 144 b 26 (44¹)
 VI, 9 p. 147 a 29 (41)
 VI, 10 p. 148 a 10 (42)
 23 (21¹)
 35 (44)
 148 b 8 (29¹)
 VI, 11 p. 149 a 10 (33)
 VI, 12 p. 149 a 37 (29¹)
 149 b 24 (38)
 VII, 1 p. 151 b 30 (42)
 36 (42)
 VII, 3 p. 153 a 8 (29)
 VII, 5 p. 154 b 13 (45)

VII, 5, p. 154 b 15 (27)
 16 (45)
 155 a 8 (45)
 14. 20 (45)
 23 (13. 45)
 28 (13⁵)
 VIII, 1 p. 156 a 15 (33)
 VIII, 2 p. 157 a 35 (33)
 157 b 34 (35)
 158 a 28 (29)
 VIII, 5 p. 159 a 25 (5⁴. 13⁴)
 VIII, 7 p. 160 a 17 (21⁴)
 VIII, 12 p. 162 b 11 (35)
 27 (34)
 IX, 3 p. 165 b 15 (25⁷. 29³)
 IX, 4 p. 165 b 30 (21⁴)
 IX, 9 p. 168 a 25 (21⁴)
 IX, 13 p. 173 a 32 (25⁷. 29³)
 IX, 17 p. 176 b 8 (38)
 IX, 34 p. 183 a 37 (5)
 183 b 38 (5²)
 184 b 2 (28⁵)

Phys. III, 3 p. 202 a 21 (36)
 III, 5 p. 204 b 4. 10 (35)
 VIII, 8 p. 264 a 8 (35)
 De caelo I, 5 p. 271 b 10 (32)
 I, 7 p. 275 b 12 (37)
 I, 8 p. 277 a 9 (32)
 De gen. et corr. I, 2 p. 316 a 10 (35)
 De an. II, 8 p. 747 b 28 (35)
 Metaph. III, 3 p. 1005 b 20 (36)
 VI, 4 p. 1029 b 12 (37)
 VI, 17 p. 1041 a 28 (37)
 XI, 1 p. 1069 a 27 (35)
 XII, 5 p. 1080 a 9 (36. 37)
 XIII, 1 p. 1087 b 18 (36)
 Eth. Nic. II, 7 p. 1108 b 9 (37)
 Eth. Eud. I, 7 p. 1217 b 16 (37)
 I, 8 p. 1217 b 21 (37)
 II, 3 p. 1221 b 7 (36)
 Polit. II, 8 p. 1268 b 28 (32)
 Rhet. I, 1 p. 1355 a 8 (36)
 12 (36)

Tabula argumenti.

	pag.
Praefatio	5
I. De rebus	
§ 1. De definitione notionis proprii	7
§ 2. De dispositione libri quinti	8
§ 3. De probandi et refellendi ratione	12
§ 4. De exemplis	17
§ 5. Quae ratio intercedat inter librum quintum et sextum	23
§ 6. Quae ratio intercedat inter librum quintum et nonum	28
II. De sermone	
§ 7. De usu verborum	32
a) κινεῖν (κινεῖσθαι)	32
b) ὁ θεός	32
c) ὁ εἴπας	33
d) λογικός	33
e) ἔπειτα	37
§ 8. De schemate locorum et de verbositate	39
§ 9. De origine libri quinti	43
Index locorum	46

Vita.

Natus sum Ioannes Pflug Lipsiae anno 1882 mensis Augusti die secundo patre Oscar matre Ottilie a gente Engelhardt, quos ambo adhuc mihi superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum Lutheri evangelicae. Primis elementis litterarum imbutus scholam Thomanam Lipsiensem adii, quae nunc quoque rectore floret Iungmanno. Ubi anno huius saeculi altero maturitatis testimonium adeptus sum. Postquam stipendia merui, Lipsiae philologicis potissimum studiis me dedidi. Docuerunt me viri illustrissimi Bethe, Brieger, Brugmann, Buchholz, Gregory, M. Heinze, R. Heinze, Hofmann, Holz, Immisch, Ieremias, Iungmann, Kirn, Köster, Lipsius, Martini, Marx, Mogk, Rietschel, Schulz, Sievers, Studniczka, Stumme, Volkelt, Wachsmuth †, Witkowski, Wundt. Proseminarii regii Immischio moderante sodalis fui ordinarius per tria semestria, Martini proseminarii per idem spatium. Benevolentissime me excepit in seminarium historicum Wachsmuth. Praeterea me admiserunt ad exercitationes metricas Marx, ad archaeologicas Studniczka, ad paedagogicas Iungmann. Quibus praeceptoribus gratias habeo quam maximas; praecipue Bethium, Heinzium, Immischium, qui semper studiorum meorum fuerunt fautores benevolentissimi, grato animo colere non desinam.
